37.
1018.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DEMETRII ZENI

PARAPHRASIS

BATRACHOMYOMACHIAE

VULGARI GRAECORUM SERMONE SCRIPTA

QUAM

COLLATIS SUPERIORIBUS EDITIONIBUS RECENSUIT, INTERPRETATIONE LATINA INSTRUXIT ET COMMENTARIIS ILLUSTRAVIT

FR. GUIL. AUG. MULLACHIUS

PHILOS. DOCTOR ARTIUMQUE LL. MAG.

BEROLINI

APUD G. FINCKIUM

1837.

1018.

Digitized by Google

1818.

Digitized by Google

VIRO ILLUSTRISSIMO

CAR. CHR. MÜLLERO

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS INTIMO IN PALATII PENETRALIBUS CONSILIARIO, SECRETI REIPUBLICAE CONSILII SOCIO, ORDINUM AQUILAE RUBRAE ET STANISLAI IN CLASSE ALTERA EQUITI ETC.

GENEROSO POLITIORUM ARTIUM ET LITTERARUM CULTORI ET FAUTORI

LIBELLUM HUNCCE

SUMMAE VENERATIONIS AETERNAEQUE OBSERVANTIAE MONUMENTUM

CONSECRAVIT

EDITOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Prolegomena.

Ea contigit hominum linguis indoles ac natura, ut quum nihil sint nisi variae rationis humanae imagines atque formae, in maxima diversitate perpetuam quandam similitudinem conservent. Quapropter veterum populorum linguas, quarum notitiam e scriptis tantum monumentis haurire licet, quae non ubique facilem habent intellectum, sed interdum rerum pariter atque verborum obscuritate laborant, e diligenti aliarum linguarum comparatione, si non penitus, magna tamen ex parte percipi posse manifestum est. Quippe in omni linguarum studio id spectari oportet, ut perspicuarum cognitione rerum adjuti ad ea, quae longa saeculorum series obscuravit, facilius illustranda animum appellamus. In quo nihil magis necessarium videtur, quam universam linguae alicujus historiam sic perquirere atque examinare, ut totum illud tempus, quo hominis instar ab exiguis orta initiis crevit, floruit, decrevit atque exstincta est, mente contemplando, non minus principii tenebras florentis aetatis luce, quoad ejus fieri potest, illustremus, quam

Digitized by Google

hac ad intelligendas posteriorum temporum, quamdiu fuit, mutationes utamur. Quum autem ipsa illa lux haud raro velut stella nubibus contecta evanescat, ideoque alia opus sit luce, ne caligo oriatur, multa etiam ad florentis linguae statum perspiciendum praesidia ab iis temporibus peti queunt, quibus sermo ille jam ad interitum vergere vel mutata figura quasi post fata reviviscere coepit. Quae si vera sunt, subit profecto mirari, cur licet multi reperiantur, qui in immortalibus antiquae Graeciae monumentis perscrutandis operam atque industriam collocent, pauci tamen sint vel ea laboris patientia praediti vel veri studio ita flagrantes, ut praeter admirabilia poetarum et pedestris orationis scriptorum opera, in quibus liberae Graeciae aura et spiritus nos afflat, ea quoque praestantium ingeniorum scripta legant, quae citeriora saecula et nostra etiam memoria apud Graecos protulerunt. Est quidem jucundius, libros eloquentia verborumque luminibus commendabiles vel poeticae virtutis laude insignes manu versare, quam alios, qui minus sermonis nitore conspicui sunt, praesertim si sciamus, in his multa inveniri depravata et quae in iis emineant magnam partem imitando esse expressa, in illis vero omnia felicis naturae et excellentis ingenii vi inventa esse, ita ut aeterna sint exempla, in quae universa posteritas debeat intueri. Verumenimvero manca est et imperfecta linguae graecae scientia, quae pervolutandis solis eorum scriptorum libris comparatur, quibus nativam dictionis elegantiam et venustatem merito tribuimus. Non enim in eorum voluminibus omnis

Digitized by Google

antiquus Graecorum sermo consignatus est, sed haud exigua verborum, significationum, structurarum pars cum illis qui non amplius exstant scriptoribus periit. Qui etiamsi omnes superessent, non tamen nobis totam sui aevi Graecorum linguam servassent. Etenim multa dicimus, maxime in familiari sermone, quae, quia minus urbana videntur, scripto mandare dubitamus. At ubi tanta labentibus saeculis varias ob causas linguae conversio facta est, ut post ingentem vocabulorum, phrasium, formarum jacturam eae potissimum voces loquendique formulae relictae sint, quibus, ut inelegantibus, antiqui parcius utebantur, vel prorsus abstinebant, jam nomina olim jocularia rebus seriis aptantur, jam plebeja et ex triviis arrepta loquendi genera rebus sacris adhibentur, jam mira audacia novae procuduntur voces, jam denique barbara vocabula non fastidiuntur periculumque est, ne penitus intereat lingua. Quae quum ita sint, nemo dubitabit, quin si quis libros pervolvat, in quibus haec labentis linguae conditio apparet, inde mente assequi possit, qualis apud antiquos vulgi loquela fuerit. Proderit etiam vel eam ob causam hujus generis scripta multo usu trivisse, quod plurima offerunt sollertissimae vetustiorum auctorum imitationis vestigia. Ex hac scilicet imitatione duplicem percipimus utilitatem. Una est, quod, quum color antiquitatis quantumvis veneraudus et sanctus in iis potissimum scriptoribus, qui verborum numero vix sententiarum pondus aequant, vel qui grandi poeticae sublimitatis sono animi sensa obscurius significant, quam clarius elo-

quuntur, nostrorum temporum hominibus difficultates afferre soleat, posteriorum imitationes certam plerumque interpretandi viam commonstrant. Altera in hoc posita est, quod, quomodo lingua ab antiqua via deflexerit, e nulla re magis, quam ex his imitationibus emanat. Huc accedit, ut si cui propositum est critici munus sustinere, is demum hoc nomine dignus haberi queat, qui non modo sagacitate et acumine excellit, sed etiam, qua ratione veterum libri ad nos pervenerint, satis animo comprehendit atque ea est doctrinae ubertate, ut omnia, quibus lingua quaedam vixit, tempora conferre inter se possit. Atqui plurima menda ab imperitis citerioris aevi librariis in antiquorum opera invecta esse scimus. Nimirum quo quis in majore prisci sermonis ignoratione versabatur, eo saepius in describendis membranis peccasse et quae obscura ipsi videbantur, suo more correxisse censendus est. Quis igitur, si sermonem, quo locuti sunt isti scribae, plane ignorat, vetustatis monumentâ, ubi corrupta sunt, probabiliter emendare se posse speret? Haec omnia in Graecorum linguam quadrant, quae postquam illa humanitatis et doctrinae mater Graecia Macedonibus parere coacta est, sensim ex illo, quod ascenderat, perfectionis fastigio descendit, et procedente tempore mutato cum dominis Graeciae statu magis magisque in periculum adducta est, donec multis defuncta casibus nostra memoria revirescens ac barbariei squalorem abstergens, senii, quod inter longam populi servitutem contraxerat oblita, juvenilem rursus faciem induere coepit. Sed quum

nulla unquam aetate apud Graecos defuisse constet, qui majorum linguae bene gnari eorum scripta vel viva voce aliis exponerent vel editis commentariis explanarent vel scribendo imitarentur, quumque soli fuerint Graeci, qui manu sua antiquorum opera describerent et qui quo tempore a Turcis capta Constantinopolis est, miserabilem letifero ictu Musarum interitum aeternumque earum silentium metuentes, collectis quae reperiri poterant sacris antiquorum scriptorum reliquiis, vicinam Italiam peterent, graecae sapientiae semina post medii aevi barbariem iterum per Europam sparsuri: quidquid hodie de antiquis Graecorum litteris novimus, id ipsi huic genti nos acceptum referre liquet. Qui primi fuerunt nostri linguae graecae doctores, iidem etiam ultimi erunt. Nam quum docti apud Graecos viri nunc lingua utantur non admodum diversa ab antiqua, vulgus autem sermone loquatur paulo corruptiore quidem, sed tamen antiquissimis locutionibus referto, unde nova antiquae linguae lux affulgebit, nihil existimo prius potiusque habendum esse philologis, quam ut hanc recentiorum Graecorum linguam addiscant. Etenim, ut alia in praesens omittam, plurimum inde et ad judicandam scholiastarum multorumque aliorum scriptorum, qui a paucis recte intelliguntur, Graecitatem et ad classicorum quos vocamus auctorum contextum melius constituendum commodi atque utilitatis capi posse certissimum est. Ad quem finem non sufficit eruditorum loquendi genus nosse, sed vulgari quoque linguae discendae diutissime opera danda est.

Porro prout tempus cujusque et occasio fert, promtam etiam par est scribendi loquendique facultatem acquiri. Quam qui nactus est, is praeclarum ad veterum intelligentiam instrumentum sibi comparavit. Quod nolim sic accipi, ut omnes Graecorum viri docti et si qui illis eruditione pares sunt alienigenae a quovis errore in dilucidandis antiquorum libris immunes perhibeantur, id quod vel numerosi scholiastarum errores redarguunt, sed hoc dico, si quis praeter hanc, de qua locutus sum, linguae graecae cognitionem perspicax habet ingenium neque studiorum labores fugit, hoc meliorem antiquitatis graecae antistitem et restitutorem fingi non posse. Verum ne commendare videar linguam, cujus naturam rationemque nondum illustraverim, liceat mihi, quantum praefationis angustiae patiuntur, graeci sermonis historiam ab eo tempore, quo corrumpi coepit, usque ad nostram aetatem breviter contexere ea mente, ut quae sit origo linguae graecae vulgaris aperte declarem.

Postquam Graeci amissa libertate sub Macedonum imperium redacti sunt, accidit sub idem tempus, ut victoris populi potentia et armis graecus sermo ad Asiae incolas etiam tum litterarum graecarum plane rudes perveniret. Quae res licet saluberrima fuerit ad incultas maxima ex parte nationes eo ingenii cultu, quo Graeci dudum floruerant, impertiendas, tamen ipsius Graecorum sermonis castitati et integritati multum obfuit. Etenim Macedonum, Aegyptiorum, Syrorum, Persarum, Indorum aliorumque barbarorum in ore haec lingua depravata et multiplici barbararum vo-

cum admixtione corrupta est. Quid? quod ipsi Graeci barbaris subjecti non amplius tanto orationis lepore ac festivitate praestabiles fuerunt. Nec mirum. Elegantia et urbanitas sermonis in illis tantummodo gentibus reperiuntur, quae politiore humanitate praecellentes et liberali doctrina ornatae maxima libertatis felicitate fruuntur. Contra quaecunque in peregrini alicujus domini ditione sunt, etiamsi bonarum artium curam perpetuo gerant, tamen jugi illius, quod patiuntur, nunquam non memores servitutis ac miseriarum vestigia linguae etiam suae solent imprimere. Attamen haec non repente, sed paulatim ex comta et urbana horrida fit et rustica. Quo magis videlicet temporis progressu opprimitur populus ac jugum primo intolerabile tolerare docetur, eo magis ejus lingua et ipsa in pejorem partem necessario vertitur. Igitur Graecis in Macedonum potestatem redactis fundamenta jacta sunt linguae in deterius mutandae. Orta est id temporis ea sermonis forma, quae quia omnibus Graecis communis esse coepit, lingua communis (ἡ κοινὴ διάλεκτος) vocitata est, quae atticae dialecti speciem habitumque referebat atque in hoc solo ab ea discrepabat, quod sublato dictionis atticae ornatu reliqua omnia, quae caeteris Graecis aeque probabantur, continebat. Si qui ergo posthac ad majorum gloriam dicendique venustatem sublimitatemque se erigentes eloquentiae studio ardebant, neque veteribus Atticis inferiores videbantur, haec singulis debebatur scriptoribus laus, non genti atque aetati universae. Veruntamen insita illa ingenii vis, illa inge-

nita virtus propria gentis Graecorum diu tutata est linguam adversus illam pestem, quae crebra cum exterarum nationum linguis contagione patrium cujusvis populi sermonem corrumpere solet. Siquidem nulla fere major linguae mutatio facta est, ex quo Graeci sub nutum ditionemque Romanorum pervenerunt. Tametsi enim verba latina loquendique formulae quaedam a Romanis mutuo sumtae in eam irrepserunt, tamen sincerus orationis tenor et sonus, antiquus ille loquendi color et modus nondum desiderabantur. Silentio transeo eos, qui quum nec natione nec oratione Graeci essent, deterius quam ipsi Graeci scribebant. Haec fere linguae conditio plura per saecula mansit et quo tempore jam Italiae populi perpetuis barbararum gentium incursionibus infestati admodum corruptam usurpabant loquelam, nituit adhuc et flore quodam conspicua fuit illa lingua, qua Pericles olim tanquam habenis Atheniensium animos flexerat. Namque haud in exigua felicitatis parte jam antea Graecis ponendum erat, quod imperii Romani sede a Constantino Magno Byzantium translata non Romana, sed Graeca publica per totum imperium lingua evaserat. Quamquam enim primi Imperatores in aula Byzantina latine loquebantur, mox tamen lingua Latialis domestico Graecorum sermoni cessit. At vero negari non potest, ingentem vocabulorum a Romanis acceptorum multitudinem jam tum apud plebem invaluisse. Huc pertinent ῥὴξ *rex*, ὁσπίτιον hospitium, *domus*, παλάτιον *palatium*, δοὺξ *dux* et alia. Quamvis scilicet homines liberaliter educati atque

eruditi ita loquerentur et scriberent, ut ad dictionis praestantiam, qualem superiora saecula tulerant, proxime accederent, vulgus tamen, quod ante acta tempora non curat, praesentibus malis ingemiscens ob litterarum ignorantiam non rudius modo, sed etiam corruptius loquendi genus jam habebat. Haec illa est lingua, quam inde a sexto fere post Chr. n. saeculo Graecorum scriptores vulgarem vel popularem (δημώδη, ἁπλῆν, κοινὴν, ἰδιωτικὴν διάλεκτον vel γλῶσσαν τῶν χυδαίων) appellant. In hoc rerum statu nihil funestius plebis loquelae, quam in dies augescens per totum medii aevi spatium cum peregrinis gentibus commercium accidere poterat. Variae nimirum nationes barbarae, quae continenter in imperii fines irrumpebant et quibuscum usque bella gerenda erant, imprimis vero fanatica illa Cruciferorum agmina vasto tumultu Graeciam percursantia cum multis ejus incolas damnis affecerunt, tum constituto ibi latino, quod vocabant, imperio longum per tempus plebis sermoni sic nocuerunt, ut magis magisque insititiis vocibus deformaretur. Sed enim non hostes solum in causa fuerunt, ut vulgaris haec graecitas labem contraheret, verum illi quoque populi, qui mercaturam facientes ex aliis regionibus mercimonia ad Graecos perferebant, plebejum loquendi genus inquinasse dicendi sunt. Namque vocibus Latinis, Italicis, Gallicis, Arabicis, Turcicis, Slavonicis aliisque tum primum populi sermo turpatus et quasi adulteratus est. Primus, quod sciam, qui vulgari lingua in scriptis usus est, fuit Theodorus Prodromus, quem saepius

Ptochoprodromum ob paupertatem nuncupant. Is duodecimo post Chr. n. saeculo sub Manuele Comneno, ab anno 1143 ad 1180 apud Graecos Imperatore, vixit. Sunt tamen, qui jam prius Simeonem Sethum, quem inter annos 1070 et 1080 floruisse multorum opinio est, Chronica vulgari Graecitate composuisse tradant. Ptochoprodromus duo reliquit poëmata, quorum utrumque Manueli Imperatori dicavit. In horum altero de paupertate sua, in altero de monasterii sui praefecto conqueritur. Utrumque poëma perquam ineptum est, dignum vero, quod ab iis legatur, qui quae cuique saeculo graecitas fuerit cognoscere laborant. Sed eo potissimum nomine memorabilia sunt ista carmina, quod hinc exiguam tantum animadvertimus differentiam inter vulgarem duodecimi saeculi linguam et plebejum nostrae memoriae Graecorum sermonem. Verum quamvis plebs ab eruditorum loquendi norma jam multum aberraret, tamen antiquae linguae studium ita cordi doctioribus ditioribusque et ipsis Imperatoribus erat, ut quamdiu res Byzantina stetit, in aulicorum doctorumque hominum ore sermo antiquitatis versaretur ac tam in actis publicis quam in eruditorum scriptis adhiberetur. At ubi victrices Turcarum legiones Constantinopolin expugnarunt, quum plerique viri docti in Italiam aufugissent, tanta pestis subito populi loquelam invasit, ut parum abesset, quin barbararum vocum farragine obruta graeca esse desineret. Quis enim aequo animo Graecorum scripta legere potest, quae hoc vulgi sermone de historia illius aetatis confecta paulo ante

captam Constantinopolin ac non multo post prodierunt, in quibus nescias, utrum magis Turcarum quae describitur immanitatem, an stili, quo exarata sunt, barbariem horreas. Ab hoc inde tempore maxima antiquitatis ignorantia Graeciam occupavit. Quippe inclytus olim sapientia populus, tot mala quae perpessus erat et quotidie Turcarum crudelitate perpetiebatur cogitans unico, quod christiana religio praebebat, solatio sustentabatur, litterarum studiis (proh dolor!) neglectis. Etsi autem litterae jam in tenebris jacebant, fuerunt tamen inter sacerdotes qui veterum opera assidue legerent divulgatisque libris antiquo sermone scriptis inclarescerent. Quod quamquam laudabili instituto fecerunt, ut peritioribus quibusdam prodessent, plebi tamen ob dictionem, quae ipsius captum superabat, prodesse nequibant. Interim vulgus perpetuo in templis tam veteris quam novi testamenti scripta sacerdotes publice legentes audiens sic impeditum est, quominus prorsus barbarum loquendi modum asciscerent. Tria fere saecula post imperii Byzantini occasum transierant, quum pars quaedam Graecae nationis, quod mercaturam strenue fecerat divitiis aucta, circa annum 1750 litterarum amore incendi coepit. Adde quod plures Graeci, qui opibus aeque atque ingenio pollebant, ad Moldaviam Vlachiamque administrandam a Turcarum Imperatore jam superioris saeculi initio admoti erant. Hi omnes non tantum ipsi eruditionis desiderio tenebantur, sed etiam popularibus viam quovis modo ad eam munire studebant, rati tum demum

Graeciam a barbarorum jugo liberatum iri, quum hostem non minus potentem, ignorantiam, vicisset. Quamobrem scholas et gymnasia in variis oppidis condiderunt accitis celeberrimis quibusque et doctissimis magistris. Quae res quantum valuerit ad Graecos erudiendos dici vix potest. Multi enim tam ligatae quam solutae orationis scriptores ex eo tempore jam barbaris vocibus abstinuerunt perenni illo et inexhausto aviti sermonis fonte novos hortulos irrigantes. Quare quidquid recens aetas excogitavit, antiquis nominibus scite appellarunt, nova etiam fingentes vocabula, quae ne summos quidem antiquitatis oratores aut philosophos, si novissent, repudiaturos fuisse probabile est. Non tamen cuncti eandem viam in excolenda lingua ingressi sunt. Alii majorum linguam sic amarunt, ut prae hac plebis sermonem spernerent. Quorum in numero, ut alios, qui ante eum vixerunt, taceam, nostro etiam saeculo Neophytus Ducas fuit, editis oratoribus Atticis, Thucydide aliisque auctoribus clarus. Alii vulgarem graecitatem sine ulla fere mutatione scribendis carminibus omnisque generis libris ad rem litterariam spectantibus aptam esse arbitrati sunt. Itaque poetae nonnulli et pedestris orationis scriptores exstiterunt, qui ne transversum quidem digitum a vulgi consuetudine discederent. Talis fuit, qui exeunte saeculo superiore et hujus saeculi initio vixit Athanasius Christopulus, praeclari ingenii vir, qui recentioris Graeciae Anacreon merito nuncupatur. Alii, rejectis vocabulis extrinsecus allatis, eam quae nunc in populi ore est linguam et loquentibus et scribentibus

tibus semper usurpandam censuerunt, ea tamen lege, ut prout necessitas vel occasio ferret, indies plura ex vetustis arculis ornamenta depromerentur. Melioris hujus dictionis auctor Adamantius Coraes fuit. Cui viro immortaliter de popularibus suis, de recentiore Graecitate, denique de litteris antiquis merito, quem in omni genere laudis inter nostrae aetatis Graecos anteponam, habeo neminem. Qui quum recte judicasset, nisi vulgaris sermo excoleretur, vulgum nunquam litterarum participem esse posse, atque hunc sermonem, quem multis abhinc saeculis jam natum docti semper despexerant, magni esse ad perspiciendam universam linguae graecae naturam momenti, in hoc excolendo omnem curam ponendam esse existimavit. Idcirco eos reprehendit, qui e casca antiquitate repeterent vocabula nemini nisi doctioribus hodie nota, si quidem recens lingua alia idem significantia suppeditaret, vel qui verborum nominumve formas diu amissas ac plebi plane ignotas renovarent, vel qui ex antiqua lingua ea recentiori ornamenta obtruderent, quae fere respuit, quia alia habet non minus magna, quae contemnere iniquum est. Quae quanta perversitas sit, in promtu esse reor. Scilicet boni illi homines dum comere linguam cupiunt, evulsa pulcherrima coma quasi caliendrum ei imponunt. Sunt tamen, in quibus a Corae nobis dissentiendum et popularem loquendi morem adversus ejus emendationes defendendum putemus. Cf. praeter alias ultimam Commentarii nostri adnotationem. Corais dictionem multi probarunt, eumque tanquam legislatorem venerati sunt.

* *

In his nominandi videntur Cumas et Theocharopulus, quorum posterior libellis quibusdam grammaticis innotuit, prior cum aliis operibus tum translationibus librorum germanicorum ita de graeca natione meruit, ut grato animo Graecis diutissime ejus memoria sit servanda. Ulterius in imitando antiquorum sermone, quam Coraes, eorum qui recentiore lingua scripserunt Constantinus Oeconomus progressus est, vir insigni facundia praeditus, quem nostrae aetatis Graecorum Chrysostomum dixeris. Plures ejus libri feruntur. Nam de arte rhetorica opus composuit, orationes ecclesiasticas edidit et de Graecae ac Slavonorussicae linguae cognatione commentatus est. Omitto alia ejus scripta, quae non minus celebria sunt. Etsi vero alii aliter inter doctos Graecorum viros scribunt atque loquuntur, prout eruditione, judicio, pulchri venustique sensu inter se dissimiles sunt, haec tamen diversitas, quae magis magisque evanescet, neminem alienigenarum prohibere debet, quominus discendae vulgari linguae operam det. Multo enim minus legendis doctorum hominum libris, in quibus cultius illud et antiquius dicendi genus apparet, peregrini proficiunt philologi, quam cognoscendis iis operibus, quae plebejo sermone scripta sunt. Siquidem plebeja loquendi consuetudo tam diu philologis ignorata effecit, ut vel illi, qui litterarum graecarum principes salutabantur, in explanandis vertendisque antiqui et medii aevi monumentis gravissimos aliquando errores sibi objici paterentur. Quem igitur usum praebeat, quantoque commodo sit eruditis conjunctum veteris et recentioris

linguae studium, paucis declarabo. Licet recentior lingua multa vocabula, multas nominum verborumque formas et significationes, multas particulas, atque adeo syllabarum quantitatem amiserit, ac praeterea non paucas voces loquendique formulas contineat, quae apud veteres non leguntur, denique in nectendis periodis struendisque sententiis paululum differat ab antiqua, nihilominus tantam cum illa similitudinem etiam nunc gerit, ut parum absit, quin eandem linguam esse dicas. Idcirco dubium est, utrum ex recentiore sermone ad antiquum, an ex antiquo ad recentiorem melius capiendum major redundet utilitas; illud non dubium, quin uterque alteri egregium afferat lumen.

Ac primum quidem si quis in universum nostri aevi graecitatem cum tota antiquorum lingua conferat, reperiat prima fronte, magis eam accedere ad scriptorum ecclesiasticorum, eroticorumque, porro scholiastarum atque auctorum historiae Byzantinae orationem, quam ad florentis aetatis dicendi genus. Verumtamen varias illas, quae in Graecia hodie inveniuntur, dialectos populares perscrutanti certum videbitur, permulta ex antiquissimo Graecorum sermone in vulgari loquendi more superesse. *) Quae res haud difficilis explicatu est. Vulgus enim tenacissimum antiquitatis. Porro omnes fere scriptores Graeci, ne iis quidem exceptis, qui Atticae dictionis exempla habentur, vel qui postero tempore Atticae elegantiae studiosissimi

*) De Zaconum dialecto peculiaris exstat Frid. Thierschii dissertatio lectu dignissima. Vid. Comment. Acad. Monac. ann. 1832.

fuerunt, interdum non refugiunt voces, phrases et juncturas minus elegantes. Harum omnium quasi obrussa praeter veterum grammaticorum auctoritatem recentior graecitas est. Etenim vel eruditorum sermo vel vulgi loquela tales dicendi modos retinuit. Quodsi aliae loquendi formulae idem significantes, quae olim exstiterunt, non amplius in usu sunt, minime obscurum est, eas, quae nunc supersunt, apud antiquos pro plebejis habitas esse. Si vero praeter tales, de quibus agimus, locutiones aliae quoque hodie usitatae sunt urbaniores, idem discrimen, quod inter has hodie intercedit, plerumque jam veterum aevo fuit. Optime autem Phrynichi aliorumque Grammaticorum de sermonis castitate judicia nostrae aetatis loquendi more confirmantur. Quidquid scilicet Grammatici tanquam inelegans damnant, id nostra memoria apud plebem usitatissimum est; quidquid tanquam purum emendatumque commendant, id, si nunc quoque frequentatur, eodem modo ab aliis iisque subrusticis loquendi generibus, ut apud veteres distinguitur. Paucis defungar exemplis. Verbo *χιονίζειν*, quo Herodotus usus est, ideo videntur florentis Atticismi auctores abstinuisse ac pro eo dixisse *νίφειν*, quod illud minus venustum videretur. Verum postquam purus ille Atticismus interiit, Diogenem Laertium idem usurpasse videmus. Hodie autem nihil in Graecia usitatius est, quam *χιονίζει*. Menander *γῦρος* dixit pro *κύκλος* vituperatus ideo Phrynicho. Fuit enim *γῦρος* vox minus elegans. Pariter hodie Graeci de hoc vocabulo judicant. Magnum hujus generis exemplorum numerum ex variis scriptoribus hic con-

gerere possem, quae sponte recentioris linguae gnaro se offerunt, sed satius esse duco, in aliis libris uberius hanc materiam tractare. Hinc patet ad dijudicandum veterum scriptorum orationis habitum singulasque, quas ponunt, voces plurimum nos ex recentiorum Graecorum sermone proficere posse. Quod vero supra dixi, antiquissima vocabula in plebeja loquendi consuetudine ad nostram memoriam pervenisse, id magnam nonnunquam admirationem movet. Constat, in multorum populorum linguis reperiri nomen θυγάτηρ, quod simillimum est Germanico Persicoque nomini ejusdem significatus. Atqui forma haec longior est, quam ut primitiva esse queat. Nullus vero populus simpliciorem formam retinuit, quam Graecum vulgus Chii aliarumque insularum maris Aegaei, ubi pro θυγάτηρ audis τὸ θύγος. Neque vero quemquam dicturum puto, θύγος posterioris aevi formam esse. Nam qui bene norunt graecae linguae leges, substantiva neutra in ος desinentia, quae omnia antiquissima sunt, a longioribus substantivis deduci non posse sciunt.

At ne quis putet, recentiorem linguam non magis commodo quam damno esse discentibus, opus fore existimo haec iis, quae diximus, addere. Omnia citerioris Graecorum linguae vocabula vel leguntur apud veteres, vel non leguntur. Ex iis, quae leguntur in antiquorum libris, plurima eandem vim eundemque usum etiam nunc habent, alia vero significationes quasdam amiserunt vel novas videntur accepisse. Sed novae istae significationes jam passim exstant in mediae aetatis monumentis, quamquam persaepe in lexicis desiderantur.

Hae novae significationes aliquando specie tantum novae sunt, revera antiquae, quippe quae, si minus apud scriptores classicos, tamen in inscriptionibus antiquis haud raro obviae sint. Unde eas veterum aevo plebejas fuisse conjicias. Quis igitur dubitet, quin hac quoque in parte recentior lingua ad philologorum studia utilissima sit habenda. Enimvero quaecunque vocabula recentis graecitatis in antiquorum operibus non amplius supersunt, ne exstitisse quidem olim nemo prudens ausit contendere. Sunt autem illa partim primitiva, unde derivata tantum vocabula in vetustis libris nunc legimus, partim derivata, quorum primitiva modo verba veterum scripta continent, partim vel simplicia vel composita, quorum alterutra solum in antiquorum operibus relicta sunt. Tantam verborum adhuc ignoratorum copiam nonnisi maximo cum bonarum litterarum detrimento contemni posse apertum est. Caeterum quo plures in lucem proferuntur inscriptiones vetustae, eo plura inferioris graecitatis vocabula antiquitati vindicantur. Quis enim olim ἀρχοντεύω et ἀρχόντισσα pro genuinis veterum vocibus habuisset, quae nunc ex Boeckhiano inscriptionum corpore lexicis inferri possunt. Quippe in hoc quasi de industria multi peccant, quod, quaecunque neminem florentis aetatis scriptorum usurpasse vident, ea illo aevo ne dici quidem potuisse affirmant. Sed ut fidem habemus Hesychio aliisque lexicographis, ubi memorant voces, quas frustra quaeras in antiquorum monumentis, ita nostri temporis vulgari Graecitati non minorem fidem tribuere debemus, praesertim quum

corruptissimus ille Hesychius, hic autem superstitis populi sermo sanus atque integer sit. Verum quoniam Hesychii mentionem feci, obiter dicam, illud planum atque evidens esse, hunc lexicographum emendari non posse nisi a viro popularis linguae graecae peritissimo. Nam male usque adhuc editus est Hesychius. Cujus editores quae non intellexerunt, ea conjecturis vexarunt, incerta rati quae certissima sunt. Cf. quae in Comment. ad Paraphr. v. 319 dixi.

Quantum porro lucis hinc accedere queat singularum vocum originationi vel illis antiquorum auctorum locis, qui nulla lectionis varietate e codicibus notata obscuri et captu difficiles judicantur, longum est dicere. Vocum origines perquirere arduum et difficile, iis autem difficillimum est, qui falsa pronuntiatione utuntur. Quare non mirum, ne Passovium quidem, virum alioqui sagacem et ingeniosum multorum verborum etymologiam veramque rationem perspexisse. Exemplo sint nomina οἶκος et οἶμος. In veterrimorum populorum Indorum, Persarum atque Hebraeorum linguis *domus* vocatur iis nominibus, quae locum proprie designant, in quem venimus vel intramus. Eadem potestas graeci vocabuli οἶκος est. Quod si recte pronuntias *icos*, cognatum tibi videtur cum ἵκω (*ico*) et ἱκνέομαι. Neque magno labore opus est ad inveniendam alterius nominis etymologiam, modo Graecorum more, non quemadmodum Erasmus praecipiebat, pronuntietur. Igitur οἶμος (*imos*) *via* sponte fluit ab εἶμι (*imi*) *eo*. Quo quid magis consentaneum esse potest? Jam si antiquorum locos rerum verborumque obscuritate impe-

ditos enarrare velim, verendum sit, ne semel dicendi initio facto vix finem inventurus sim. Attamen, ut hujus quoque generis exemplum proponam, impeditissimum esse omnes judicant locum Xenophontis initio Hellenicorum, ubi scriptor: Οἱ δὲ ἀνηγάγοντο, inquit, ἐπ' αὐτὸν εἴκοσι ναυσὶν, ἃς ὁ Δωριεὺς φυγὼν πρὸς τὴν γῆν ἀνεβίβαζε τὰς ἑαυτοῦ τριήρεις, ὡς ἤνοιγε, περὶ τὸ Ῥοίτειον. Quem sensum hic habeat ἤνοιγε quaesitum a multis est, perspectum a paucis. Nimirum vulgaris lingua Xenophontis explicatoribus usu non erat cognita. Quam qui norunt, ii etiam nunc a nautis in Graecia sic celebrari sciunt verbum ἀνοίγω, ut hic a Xenophonte adhibetur. Quid quaeris? Ἀνοίγω si de nave vel de navigantibus intelligitur, vertendum est *relicto portu* (relicta statione) *in altum evehor.*

Praeterea universa Grammaticae doctrinae ratio perpetua veteris et recentis linguae comparatione insigniter emendari potest. Nam praeterquam quod multa, quae ignota sunt, inde discuntur, quae tanquam additamenta repertis adjici queunt, ipsa etiam doctrinae hujus fundamenta multis in partibus evertuntur. Cujus generis infinita exemplorum vis et copia praesto est. Notum omnibus esse credo, multa criticis negotia Digamma Aeolicum facessivisse. Neque tamen quisquam inventus est, qui bene in hoc argumento versaretur. Nempe omnes, quantum a vulgari lingua lucis peti posset, ignorabant. Adde, quod plerique pronuntiationem ab Erasmo praescriptam sequebantur, qua nihil funestius litteris Graecis excogitari potest. Sed ne multa, popularem Graeco-

rum loquendi consuetudinem cognitam habeat necesse est, qui difficilem hanc materiam, cujus memini in Commentar. ad vers. 65, recte tractare vult. Neque minus huc pertinent synizeseos leges, de quibus egi in Commentar. ad Dialogi vers. 1. Quid? quod artificiosa verborum compages, de qua Grammatici nostri identidem scripserunt, sola Graecorum pronuntiatione eorumque plebejae linguae cognitione recte animadvertitur. Quid enim aliud est τύπτομαι (typtomae) quam τύπτω με, τύπτεσαι (typtesae, cf. Comment. ad v. 35) quam τύπτεις σε, τύπτεται (typtetae) quam τύπτε-ι-(τ) ἔ, quoniam αι et ε apud antiquos, licet temporum momenta distarent, eundem tamen sonum nativum habebant. Hinc patet, antiquissimum Graecorum passivum periisse, nec superesse ejus reliquias, nisi aoristum et futurum, caetera omnia tempora ad medium pertinere, quod in praesentis et praeteriti temporis formis excepto aoristo praeter suam passivi quoque deperditi significationem accepit. Quod vero ad futurum passivum attinet, illud manifesta periphrasi conflatum est ex iis partibus, quas separatim suo more recentes Graeci efferunt. Etenim γραφθήσομαι nihil est, nisi γραφθῆ ἔσομαι, quod nunc Graeci ex citerioris linguae analogia exprimunt θέλω γραφθῆ, de qua circumlocutione copiose disputavi in Comment. ad vers. 468. Denique nihil jucundius ac fructuosius est, quam syntaxin utriusque sermonis graeci conferre, porro variorum loquendi generum differentiam notare, synonyma veteris linguae verba cum nostrorum temporum usu contendere atque ea

etiam, quae solius antiquorum dictionis propria sunt, judicare, postquam ingenium recentioris linguae peritia ad tales res aestimandas quasi praeparaveris. Exemplorum instar citare liceat quae in Comment. ad v. 263 de Infinitivi usu in sententiis, quae futuri quid designant, ad v. 468 de usu temporum et modorum in populari sermone, ad v. 163 de discrimine verborum θέλω et βούλομαι, ad v. 464 de neutrorum pluralium cum verbis singularibus constructione dixi.

Haec generatim de conjuncti antiquae et novae Graecitatis studii utilitate dicta sufficiant. Ne quis autem in dubium vocet quae de pronuntiatione monui, rem, quae Erasmo comminiscendae novae pronuntiationis ansam dedisse fertur, exponam verbis Joh. Rodolph. Wetstenii, quae in Orationibus Apologeticis pro Graeca et genuina linguae Graecae pronuntiatione pag. 119 exstant: „„Videamus nunc, inquit, quid de nova illa Pandora sit judicandum, utrum omnes a Diis praerogativas et elegantias acceperit? an vero fucato colore suis amatoribus aliquantulum imponat? Antiquitatis speciem penula prae se fert prisca, qua a viris minime spernendis circumdatur: intus vero et in cute si eam contemplemur, nova est et fraude memorabili in orbem introducta. Primus enim ejus auctor atque parens magnus fuit Erasmus, Phoenix literatorum; is in dialogo de pronuntiatione edito, quantum quodlibet elementum a priscorum temporum usu defecerit, et qua ratione ad priscam puritatem redire queamus, praescribere primus est ausus; sed nunquam eo devenisset vir prudentissimus, nisi amicorum insidiis

circumventus aliquid humani passus fuisset. Rem, uti gesta est a. Cl. Vossio (Aristarch. l. 1. c. 28) accipite. Is eam ex relatione Henrici Coracopetraei his refert verbis: „Audivi M. Rutgerum Reschium professorem linguae graecae in collegio Buslidiano apud Lovanienses, meum piae memoriae praeceptorem, narrantem, se habitasse in Liliensi paedagogeo una cum Erasmo, eo superius, se inferius cubiculum obtinente. Henricum autem Glareanum Parisiis Lovanium venisse, atque ab Erasmo in collegium vocatum fuisse ad prandium: quo cum venisset, quid novi adferret interrogatum dixisse (quod in itinere commentus erat, quod sciret Erasmum plus satis rerum novarum studiosum ac mire credulum) quosdam in Graecia natos Lutetiam venisse, viros ad miraculum doctos, qui longe aliam graeci sermonis pronuntiationem usurparent, quam quae vulgo in hisce partibus recepta esset. Eos nempe sonare pro Vita Beta, pro H ita Eta, pro Αι, ai, pro οι, oi et sic in caeteris. Quo audito Erasmum paulo post conscripsisse dialogum de recta Latini Graecique sermonis pronuntiatione, ut videretur hujus rei ipse inventor, et obtulisse Petro Alostensi typographo imprimendum. Qui cum forte aliis occupatus renueret: aut certe se tam cito excudere, quam volebat, non posse diceret, misisse libellum Basileam ad Frobenium, a quo mox impressus in lucem prodiit. Verum Erasmum cognita fraude nunquam ea pronuntiandi ratione postea usum, nec amicis, quibuscum familiariter vivebat, ut eam observarent, praecepisse. In ejus rei fidem exhibuit Rutgerus ipsius Erasmi manu

scriptam, in gratiam Daminai a Goes Hispani, pronuntiationis formulam, in nullo diversam ab ea, qua passim docti et indocti in hac lingua utuntur." Eu nec ipse Erasmus suo dialogo fidem habuit, quis ergo illam a nobis requireret? Eundem Graecum sonandi modum constanter retinuisse cernere est e colloquiis familiaribus, illo praesertim, quod Echo nomen praefert, ubi voci eruditionis respondet Echo ὄνοις Episcopi κόποι, ariolari λάροι, astrologi λόγοι Grammatici εἰκῇ, famelici λύκοι. Quae omnia cum Graeca pronuntiatione ad amussim conveniunt, et, si scivisset erronea, sine dubio in editionibus posterioribus, ut corrigerentur, operam dedisset. Sed nihil minus. Non solum ipse priori rationi firmiter adhaesit, verum ut ab aliis suae fidei creditis addisceretur, omni cura providit."" Haec Wetstenius. Quaecunque post Erasmi mortem ad defendendam hanc commentitiam linguae graecae pronuntiationem a viris doctis excogitata sunt, parum ponderis habere possunt, quoniam omnes inconsideratius quam cautius hanc causam egerunt. Ac primum quidem Erasmi defensores ne id quidem operam dederant, ut penitus discerent Graecorum pronuntiationem, quam, ut notum est, a primo litterarum Graecarum in Germania doctore Reuchlino Reuchlinianam vulgo vocamus. Quo fiebat, ut impugnarent quod ignorabant, ut veterum de pronuntiatione testimonia non intelligerent, ut de inscriptionibus antiquis falso judicarent, ut quum nunquam homines natione Graecos Graeca verba pronuntiantes audivissent, talem fingerent Graecorum pronuntiationem, qualis nec est,

nec unquam fuit. A quibus erroribus ne Buttmannus quidem et Matthiaeus nostra memoria liberi fuerunt. Neuter videlicet sciebat, quomodo η distinguerent Graeci ab υ, υι et reliquis sonis, quibus omnibus eandem potestatem esse multi crediderunt, item neuter, quam varia esset prolatio τοῦ κ, quod aliter profertur in ἀνάγκη et in Περικλῆς, aliter in ὀκτὼ, aliter in ἐκεῖνος, neuter, quomodo discreparet τ in ταῦτα ab eodem elemento in ἀντὶ, vel quomodo differret π in πάσχω ab eadem consona in συμπάσχω. Mitto alia, in quibus lapsi sunt, quia molestum est, singula enumerare. Porro omnibus, qui Erasmi patrocinium susceperunt, vulgaris lingua Graeca ignota erat. At neminem unquam, qui parem cum utraque lingua usum et quasi familiaritatem contraxit, qui utriusque analogiam percepit, qui non modo e libris, sed etiam quotidiana loquendi opportunitate Graecum sermonem didicit, dubitasse scimus, num veteres Graeci aliter pronuntiarint, quam recentiores. Ineptissima vero illa sunt argumenta, quibus demonstrare nituntur, degenerasse recentium Graecorum pronuntiandi rationem ab antiqua. Nam quod plerique statuunt, idoneam ad hoc probandum linguam latinam esse, id duplicem errorem continet. Alter est, quod, quum antiquam Romanae linguae pronuntiationem non amplius calleamus, ex ignota pronuntiatione colligere nihil certi possumus ad alterius linguae sonos recte proferendos. Neque enim quemquam opinari oportet, Conr. Leop. Schneiderum vel alios veras Romanorum pronuntiandi leges e discordantium Grammaticorum

testimoniis eruisse. Omnes nimirum in hoc peccarunt, quod per totam Italiam unam eandemque pronuntiationem antiquorum aevo fuisse putarunt. Sed ut hodie aliter Veneti, aliter Florentini, aliter Romani, aliter Neapolitani eosdem sonos enuntiant, ita non minorem dissensionem veterum aetate fuisse probabile est. Nihil tale apud Graecos. Etenim per totam Graeciam una omniumque communis pronuntiatio patet, quamquam variae sunt dialecti non minus quibusdam in rebus diversae, quam antiquorum dialecti. Alter error est, quod, quoniam Romani variis modis Graecorum sonos sua lingua exprimunt, ad stabilienda pronuntiandi praecepta usitatissimum graeca vocabula reddendi modum sequendum esse viri docti dixerunt. At Romani pariter atque Graeci voces peregrinas mutuati modo id studebant, ut, quem audiverant, sonum redderent, modo ut vocem prout linguae suae natura ferebat, paulum mutato sono efferrent. Saepius vero peregrinum sonum vitabant, quam imitabantur, ac suae linguae peregrinae gentis voces accommodabant. Inde fit, ut usitatissima graecos sonos latine reddendi ratio, quo magis latina est, eo minus pro norma graeci pronuntiatus haberi queat. Duo exempla proponam elementorum β et η. Quorum illud saepe, ut pronuntiari debet, littera v exprimitur, velut in *vivo* et *vita,* quae cognata sunt cum graecis vocabulis $\beta\acute{\iota}o\varsigma$ et $\beta\iota\acute{o}\omega$. Sic quoque Latini *voro* dicunt et *volo,* quorum prius verbum ut sono, ita et significatu concinit cum graecis $\beta o\varrho\acute{o}\varsigma$, $\beta o\varrho\acute{\alpha}$, $\beta\iota\beta\varrho\acute{\omega}\sigma\kappa\omega$, posterius cum $\beta o\acute{\upsilon}\lambda o\mu\alpha\iota$ sive $\beta\acute{o}\lambda o\mu\alpha\iota$. Quodsi β vulgo enuntiatur

a Latinis littera b, velut Ἀλκιβιάδης, Βόσπορος, Alcibiades, Bosporus, inde Graecos sic pronuntiasse non magis colligi potest, quam si quis ex italicis vocabulis *cavallo* et *tavola* vel ex gallico *livre* concludat, Romanos *caballum*, *tabulam* et *librum* vocasse *cavallum*, *tavolam* vel *tavulam* et *livrum*. Huc accedit, quod in antiquis inscriptionibus latinis *bixit*, *serbus*, *amavile*, *venemeritus*, *Jobis* pro *vixit*, *servus*, *amabile*, *benemeritus*, *Jovis* legitur, unde liquet, frequenter priscos Romanos *b* et *v* permutasse. Eadem ratio vocalis η est, qua littera Latini carentes sicut caeteri Europae populi nescientesque, quomodo totam ejus vim exprimerent, modo rectius enuntiarunt littera *i*, *liroe* et *psitta* dicentes pro λῆροι et ψῆττα, modo elemento *e* reddere tentarunt, *Athenas* et *echo* vertentes quae graece sonant Ἀθῆναι et ἠχώ. Quicunque hinc cogit, η efferendum esse ut *e* (quod plurimi simul locis quibusdam veterum non intellectis demonstrare conantur,) eodem modo videntur hallucinari, quo qui ex Italica voce *lettera* vel e gallico nomine *vertu* consequi putat, ut Latini olim *litteram* et *virtutem* appellarint *letteram* et *vertutem*. Adde, quod prisci Latini quibusdam in vocibus *e* usurpabant pro *i*, in aliis sic proferebant, ut neque *e* plane neque *i* audiretur. Testis Quinctilianus lib. I c. 4: „e quoque *i* loco fuit, ut Menerva et Leber et Magester et Dijove et Vejove pro Dijovi et Vejovi. Livius et Pedianus Sibe et Quase scribebant. In Here neque *e* plane, neque *i* auditur. Nos nunc *e* littera terminamus; at veterum Comicorum adhuc libris in-

venio: *Heri ad me venit,* quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit, deprehenditur." Similiter Varro I rust. 1. „Rustici *veam* dicebant pro *viam* et *vellam* pro *villam.*" Jam si quis quaerat, quomodo Graeci β et η usurparint in transferendis Romanorum vocibus, reperiet eos β dixisse vel pro v, quod illius potestatem aequat, vel pro *b*, quo carent, nisi quod idem sonus oritur littera π praecedente μ. Etsi vero interdum uti licebat his duabus consonis μπ, tamen hoc non semper fieri poterat. Itaque mollire litterae *b* duritiem alio eoque simili sono substituto malebant. Dixerunt igitur Βάῤῥωνα et Βεσπασιανὸν Varronem et Vespasianum, qui etiam mollius saepe nominantur Οὐεσπασιανὸς et Οὐάῤῥων, Balbum autem et Brutum appellarunt Βάλβον et Βροῦτον, quoniam Μπάλμπον et Μπροῦτον nemo Graecorum tolerasset. Porro Graeci η dixerunt vel pro *i* Romanorum, ad quod proxime accedit, vel pro *e*, si vocabulum sic mutatum suavius sonare videbatur. *Scipionem* igitur et *Numitorem* nuncuparunt Σκηπίωνα et Νομήτορα, *Severum* autem et *Porsenam* eadem littera adhibita Σεβῆρον et Πορσήναν. Neque vero *i* Romanorum ita semper transtulerunt Graeci, ut ille sonus servaretur, sed nonnunquam etiam ε pro eo usurparunt. *Legio* videlicet et *capitolium* a Graecis vertuntur λεγεὼν et καπετώλιον; *linteum* haud raro λέντιον, cujus loco et λίντιον in usu erat. Quod de litteris β et η brevissime dixi, ne longa disputatione extra terminos, quos mihi constitui, evagarer, idem de reliquis alphabeti graeci et latini elementis di-

dicendum est. Quae si quis omnia accurate perpenderit, intelliget, tantam esse utriusque populi in sonis alterius enuntiandis inconstantiam, ut neutrius linguae pronuntiationem ex alterius cum altera comparatione conjectura assequi liceat, citiusque ob utriusque populi cupiditatem peregrinos sonos vitandi reperiri posse, quomodo alter populus non pronuntiarit, quam quomodo pronuntiarit. Sed quam inutile sit, eo consilio inter se comparare diversorum populorum linguas, ut ex peregrinis vocibus alterius gentis pronuntiationem discas, recentium quoque populorum linguae ostendunt. Nemo apud Gallos tam fatuus est, ut existimet, e vocabulis germanicis, quae in ipsius sermonem recepta sunt quaeque omnia ad gallicae linguae analogiam sonorumque effingendorum rationem mutata sunt, veram germanici sermonis pronuntiationem cognosci posse; nemo apud nos tam hebetis ingenii, ut e vocibus, quas a Polonis atque Russis mutuati sumus, disci posse statuat, quomodo eaedem voces in illis linguis proferantur. Sed quid loquor de linguis admodum dissimilibus? Nonne Batavorum Danorumque linguae, quae multo similiores germanicae sunt, quam latina fuit graecae, tanto pronuntiationis discrimine a se mutuo sejunguntur, ut qui iidem videntur esse soni, ii tamen diverso modo et efferantur et scribantur. Quid vero linguas commemoro diversas? Nonne ejusdem linguae variae dialecti varie pronuntiari assolent? Nonne aliter apud nos Saxones, aliter Bavari, aliter Austriaci caeterique Germaniae populi loquuntur, adeo ut non solum

singulae provinciae, sed etiam singularum provinciarum partes pronuntiatione differant. Tanta nimirum hominum per latum terrarum orbem habitantium diversitas est, ut pauci tantum inveniantur et ingeniosi et praecipue ad hanc rem a natura facti, qui viva magistri voce edocti ita peregrinarum linguarum sonos imitari sciant, ut difficile sit eos ab indigenis distinguere. Quae quum ita sint, nulla salus antiquo linguae Graecae pronuntiatui ex latino sermone speranda est, cujus singularum litterarum prolatio et ignota hodie et antiquo aevo jam alia aliis locis videtur fuisse. Ac profecto supervacuae tales sunt quaestiones, si de graeco sermone agitur, cujus avita pronuntiatio per omnia saecula ab illo populo retenta est, ut accurata veterum inscriptionum pervestigatione, grammaticorum aliorumque auctorum testimoniis et analogia linguae evincitur. Analogiam eam dico, quae per universam linguam et antiquam et recentiorem patet. Quam qui cognitam habet simulque diuturno cum Graecis convictu multorumque annorum studio in legendis antiquis ac recentibus Graecorum scriptoribus collocato aeque utrumque sermonem discere laboravit, ille his Erasmi erroribus tanquam vinculis solutus et quasi in libertatem vindicatus, ut tandem aliquando fictitia haec pronuntiatio ex omnibus Europae scholis et Academiis exsulet, bonarum litterarum causa debet optare.

Post haec, quae generatim de conjuncti antiquae et novae Graecitatis studii utilitate ac de linguae graecae pronuntiatione dixi, transeo ad certa scriptorum genera, ad quos cum fructu et sine diffi-

cultate legendos omnibus ita necessaria novitiae linguae scientia est, ut ejus ignoratio cum magno detrimento conjuncta sit. Primo loco de scholiastis et hypomnematographis loquar. Quorum lectio quum utilissima philologis sit non modo ad illum, qui forte explicatur, auctorem recte accipiendum, sed ad aliorum etiam scriptorum locos intelligendos, qui saepenumero ipsius auctoris nomine suppresso memoriter citantur: dolendum est, paucos edendis expurgandisque his Graecorum adnotationibus et commentariis manum admovisse. At valde distat scholiastarum scribendi genus a florentis aevi graecitate. Quare in horum loquendi formulis interdum etiam graece doctos homines haesisse, merito ait Ernestius in praefatione ad Aristophanis nubes. Omnino autem dictio scholiastarum, qui Aristophanem, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Pindarum, Homerum, Lycophronem, Nicandrum aliosque scriptores explanarunt, ejusmodi est, ut propter vocabulorum et phrasium multitudinem ad inferioris aetatis graecitatem pertinentium iis captu difficilis videatur, qui sola antiquae Graeciae monumenta manu versare consueverunt. Ob hanc igitur sermonis difficultatem, quae lexicis nostris non tollitur, et ob nugarum, quae in scholiis leguntur, non exiguum numerum multi scholiastas negligere quam legere malunt. Verum quae ad nos pervenerunt scholia, licet maxima ex parte excerpta sint ex praestantissimis doctorum, qui sub Ptolemaeis vixerunt, virorum commentariis tamen quia admixtam habent medii aevi falsarum opinionum farraginem, cum judicio et acumine, ut vera

a falsis discernantur, legi oportet. Quod si facimus, mirum quantum inde proficimus. Ad quam rem praecipue vulgaris Graecorum linguae peritia opus est. Qua qui pollet, is nullo negotio hos commentarios pervolvit.

Porro historiae Byzantinae scriptores, quorum alii melius, alii deterius scripserunt, referti sunt phrasibus vocibusque vulgaris Graecorum sermonis, quas vel frustra in lexicis quaeras vel in glossariis mediae graecitatis frequenter falso exponi videas. Proinde eruditissimis etiam viris accidit, ut hos scriptores male interpretarentur. Quem vero fugit, quanti pretii sint illa historiae Byzantinae monumenta, ex quibus multarum gentium origo et historia discitur multaeque res medio aevo gestae, quae nisi hic memorarentur, perpetua oblivione deletae essent. Maxime enim inde cognoscimus Cruciferorum bella, historiam meridionalium Europae populorum, denique Russorum, Ottomannorum atque eorum populorum, qui Danubio et Ponto Euxino confines sunt, originem. Haec universa ex istis fontibus ei haurire licet, qui popularis linguae graecae notitia praeparatus accedit. Siquidem hic interpretationibus latinis, quae mendis scatent, non egebit atque ubique horum scriptorum sensum sine interprete assequetur. Caeterum quam pauci sint, qui de his rerum Byzantinarum pronuntiatoribus bene meruerint, nota res est.

Praeterea ecclesiae graecae Patres, quorum multi summa eloquentia insignes fuerunt, neque minus ingenio, quam tersa oratione praestiterunt, vocabula tamen liturgica aliasque locutiones usurpant, quae ut a veterum di-

cendi ratione abludunt, ita cum nostrorum temporum plebejo sermone consentiunt. Quorum volumina quoniam pariter admirandam eloquentiae vim ostendunt et historiam religionis christianae illustrant, digna sunt, quae ab eruditionis cupidis diligenti studio terantur. Verum quemadmodum hi sine citerioris graecitatis cognitione penitus percipi nequeunt, ita multo etiam minus illi, qui Sanctorum vitas horrido plerumque et inculto stilo conscribillarunt.

Denique in variis Europae bibliothecis ingens librorum numerus latet, qui medio aevo apud Graecos de pluribus artium doctrinarumque generibus, de musica, mathematica, medicina, botanica arte, de historia naturali, de chemia aliisque compositi sunt. Qui quum abundent novitiae linguae dictionibus, partim quia res, de quibus disseritur, veteribus ignotae fuerant, partim quia talium opusculorum auctores genuinum antiquitatis colorem ob majorum sermonis ignorantiam non semper servare poterant: evidens est, ad haec opera foras danda editorem requiri aeque harum disciplinarum atque graecitatis antiquae et recentioris scientia instructum. Ne quis vero contendat, indigna esse haec volumina, quae lucem aspiciant, utpote superstitionis et ineptiarum plenissima, locupletem citabo testem C. Bened. Hasium, virum graece doctissimum, humanissimum omnique genere laudis cumulatissimum, qui multo codicum bibliothecae Parisinae usu edoctus in his etiam libellis plurima dicit scitu digna tradi, quae ad singularum disciplinarum historiam illuminandam haud parum facere videntur. Cf. quae ab eo dispu-

tata sunt in Millini Horreo Encyclopaedeutico (Magasin Encyclopédique) A. 1816 Tom. I p. 94 et 95, ubi simul de linguae graecae recentioris in conferendis codicibus manu exaratis utilitate disserit. Illis, quae ibi dicta sunt, hoc addo: quoniam veterum dialectorum diversitates aliqua ex parte e membranarum, inscriptionum ac titulorum scriptura pendent, de his quoque melius aliquando, quam adhuc factum est, a viris doctis judicatum iri, si pronuntiationem Reuchlinianam sequentes mera scripturae menda pro dialectorum discriminibus habere desierint, in quem errorem, ut alios omittam, Sturzius incidit in libello de dialecto Macedonica et Alexandrina. — Venio nunc ad Lexica et Grammaticas linguae Graecae vulgaris. Lexicon hujus linguae philologorum usui accommodatum ea, qua par est, diligentia, sagacitate, eruditione qui condiderit, neminem adhuc exstitisse vehementer dolemus. Atque ut de antiquioribus taceam Joh. Meursii et Gerasimi Vlachi Glossariis Graecobarbaris, quorum illud saepius saeculo septimo decimo typis excusum est, hoc Venetiis cum interpretatione Italica et Latina anno 1658 prodiit, in quibus exiguus modo vocabulorum numerus exponitur: ne posteriora quidem lexica et glossaria cuiquam hodie satisfacere possunt. Nam qui quadraginta per annos sub finem septimi decimi saeculi in Graecia commoratus est Romanae ecclesiae sacerdos Alexius Somavera, is licet multa vocabulorum millia in lexicon suum congesserit, tamen ut antiquae Graecitatis expers et orthographiae imperitus verba, quae audiverat, neque recte scribere

scivit, neque accurate omnia interpretatus est. Quare non magnae utilitatis ejus opus esse patet. Editus est ejus thesaurus linguae graecae vulgaris et italicae post mortem auctoris Lutetiae 1709 hoc duplici inscriptus elogio: *Θησαυρὸς τῆς Ῥωμαϊκῆς καὶ τῆς Φράγκικης γλώσσας.* Tesoro della lingua Italiana e Greca-Volgare da Somavera. Parigi. 1709. 2 Tom. 4. Multo majoris pretii est: „Caroli Ducangii Glossarium ad scriptores mediae et infimae graecitatis, in quo graeca vocabula novatae significationis aut usus rarioris, barbara, exotica, ecclesiastica, liturgica, tactica, nomica, iatrica, botanica, chymica explicantur, eorumque notiones et originationes reteguntur e libris editis, ineditis veteribusque monumentis, Lugduni apud Anissonios anno 1688" divulgatum. Sed quamvis vir laboriosissimus hoc ingenti opere immortale apud posteros nomen consecutus sit, tamen, quia parum cognitum habebat vulgarem sermonem graecum, tam saepe lapsus est, ut qui didicit eam linguam, in singulis paginis permulta, quae emendet, reperiat. Neque enim solum plurima verba non intellexit, atque ea, quam adjecit, interpretatione a vero eorum sensu aberravit, sed etiam pleraque quibus litteris scribenda essent, nescivit. At tantum abest, ut contemnam hoc glossarium, ut quae ejus auctor ex ineditis bibliothecae Parisinae glossariis, scholiastis aliisque monumentis hausit, ea bonae frugis plenissima judicem. Quodsi in iis, quae ab aliis non dilucidata ipse dilucidare tentavit, sic eum plerumque falli videmus, ut in ioculares errores labatur, venia danda est

viro egregio, qui quod potuit, praestitit peritis lectoribus menda, quae in hoc immensum opus surrepserunt, corrigenda relinquens. Post Ducangium nihil fere memorabile in hoc litterarum genere publicae luci expositum est praeter eam, quam Adamantius Coraes secundo, quarto et quinto τῶν Ἀτάκτων tomo inseruit materiam e variis scriptoribus et lexicographis collectam, quae futuris lexicorum conditoribus proderit. Quattuor priores hujus operis tomos extremis vitae annis amicorum rogatu emisit, quintus post ejus obitum in lucem prolatus est. Verum hoc ultimum Corais doctrinae atque ingenii specimen non ita expolitum est, ut expolivisset vir eximius, nisi jam vires ad hoc senem defecissent. Pudet dicere de Weigelii et Schmidii libellis, e quibus plus falsi quam veri discas. Neque vero silentio praetereundum puto parvum illud Dehèquii lexicon recentis Graecorum linguae, quod cum explicatione gallica Parisiis 1825 publicatum est. Dehèquius etsi errandi tam parcus est, quam alii prodigi fuerunt, tamen quoniam plurima vocabula et loquendi genera omisit, quae in aliis lexicis non explanantur vel male vertuntur, non magnum discentibus commodum attulit. Denique non prorsus spernendum est lexicon, quod Zalicoglus Parisiis 1809 imprimendum curavit. In quo verba gallica verbis domesticae Graecorum linguae redduntur, sed illud praecipue vituperandum videtur, quod auctor, quando voces proprias nescivit, ineptis circumlocutionibus usus est. Sed satis de lexicis.

Primus, quod sciam, qui Grammaticam popu-

laris linguae graecae composuit, fuit Simon Portius Cretensis. Hanc, quae levis tantum momenti est, Ducangius Glossario suo praemisit. Ejusdem fere notae sunt posteriorum Grammaticorum commentarii, qui praeter falsa, quae tradunt, obscuram modo linguae hujus imaginem praebent. Namque eorum auctores ex paucis, quos legerant, libris hoc vulgi Graecorum sermone confectis Grammaticam concinnare ausi sunt. Inde factum est, ut hi libelli obessent magis lectoribus, quam prodessent. Talia sunt illa *Tribbechovii* brevia linguae graecae vulgaris elementa Jenae 1705 typis descripta. Talis et Joh. Mich. Langii Philologia Barbarograeca Noribergae et Altorfi a. 1707 et 1708, 2 tom. 4. edita. Langius ex Demetrii Zeni vulgari Batrachomyomachiae paraphrasi utcunque intellecta atque e translatione novi testamenti in vernaculam Graecorum linguam a Maximo Calliupolita facta, quae anno 1638 sumtibus Ordinum Belgii foederati excusa est, grammaticam recentis linguae graecae componere non dubitavit. Qualis igitur ejus liber sit, haud difficile divinatu est. Nimirum mendis omnis generis abundat. Fuerunt et sacerdotes Romani, qui in hujusmodi opusculis conscribendis versarentur. In eorum numero est *P. Mercadus*, cujus Institutiones linguae Graecae vulgaris Romae 1732 lucem viderunt. Scriptor libellum suum Mariae Deiparae dedicavit. Etenim superioribus saeculis multi ecclesiae Romanae sacerdotes in Graeciam subinde proficiscebantur, ea mente, ut Graecos minis ac pollicitationibus formulae Romanae se addicere atque in

Pontificis sui verba jurare cogerent. His miseris destinatae fuerunt miserae Mercadi Institutiones, quas, ut sanctitatis quandam speciem haberent, Mariae consecrandas censuit vaferrimus auctor. Ejusdem farinae Thomae monachi Grammatica est, quae Parisiis anno 1709 prodiit sic inscripta: „Nouvelle méthode pour apprendre les principes de la langue grecque vulgaire." Hanc (incredibile dictu!) nostro saeculo Robertsonus in Britannicum sermonem convertit. Cujus liber hunc titulum gerit: „A concise Grammar of the modern Greek language by Robertson." Londini 1818. Ab his, qui nemini placere possunt, ad meliores in hoc genere libros orationem converto. Commendabile utrumque est Julii Davidis opusculum, quorum alterum inscribitur: „*Συνοπτικὸς παραλληλισμὸς τῆς ἑλληνικῆς καὶ γραικικῆς ἢ ἁπλοελληνικῆς γλώσσης συντεθεὶς ὑπὸ Ἰουλίου Δαβίδ. ἐν Παρισίοις, ,αωκ'*, alterum: Méthode pour étudier la langue grecque moderne par Jules David. Seconde édition. Paris 1827. Porro plerique omnes Graecorum grammatici de vulgari lingua libelli, qui hoc tempore prodierunt, aliqua ex parte laudem merentur, in iisque praecipue Darvaris et Rusiadae. Darvaris Grammaticam graece scriptam Vindobonae anno 1806 divulgavit, Rusiades germanice scriptum de nova graecitate opus anno 1834 in eadem urbe edidit. Sed omnium optime de grammatica linguae graecae recentioris meruit Adamantius Coraes Commentario illo, quo Theodori Ptochoprodromi poemata primo *Ἀτάκτων* tomo inserta ornavit. Quo quidem Commentario nihil melius ne-

que a Graecis neque ab alienigenis de citeriore Graecitate scriptum nostra tulit aetas, sed magna pars rerum a Corae expositarum inchoata magis quam absoluta est. Itaque hoc opere aliis scribendi facultatem non praeripuit, sed praebuit.

Ex iis, quae de lexicorum grammaticorumque librorum indole dixi, consequi existimo, ut magnus in hac doctrinae parte labor etiam nunc doctis hominibus relictus sit. Verum, ut breviter dicam, quid fieri oporteat, Ducangii Glossarium sic iterum edendum puto, ut excussis denuo quos auctor prae manibus habuit codicibus Parisinis, sublatis omnibus ejus mendis additis que vocabulis et loquendi generibus, quae nunc apud Graecos in usu sunt et quae apud auctores a Ducangio non lectos inveniuntur, thesaurus mediae et recentis Graecitatis in eruditorum hominum usum construatur. Quod negotium, ut docti Gallorum viri, quibus istorum codicum copia est, suscipiant, vehementer optamus. Si quis vero Grammaticam philologiae statui, qualis nostro tempore est, aptam conscribere volet, ei non solum quotquot supersunt scholiastae, grammatici, lexicographi veteres eo consilio pervolutandi sunt, ut quae illi de sermonis vitiis et de vulgari loquendi consuetudine dicunt inde excerpat, sed etiam inscriptiones antiquae et maxima antiquitatis ac medii aevi scriptorum pars intente legenda est.

Equidem, ex quo vulgaris sermonis graeci praestantiam cognovi, et quanto ille antiquarum litterarum studiosis praesidio et commodo sit perspexi,

edendae talis, qualem descripsi, grammaticae consilium cepi. At quando hic multorum annorum labor est, mihi vero parum otii contigit, vix dimidium ejus usque adhuc absolvi. Interim Demetrii Zeni Paraphrasin Batrachomyomachiae vulgari sermone scriptam sic edere statui, ut quum constet carminis hujus textum mendosissime ab aliis prius emissum esse, nullo mendo relicto eruditis ostenderem, me studiis atque vigiliis, quibus diuturna loquendi et scribendi exercitatio accessit, id consecutum esse, ut quid recte dicatur in hac recentiore lingua, quid minus recte, probe intelligam. Quodsi hanc meam operam, quam litterarum graecarum studio deditis dicavi, idoneis talium rerum judicibus placuisse eosque cupere intellexero, ut alia quoque hujus generis scripta in lucem proferam, voluntati eorum facilem me praebebo. Restat, ut primum agam de Demetrio Zeno ejusque opere, tum de superioribus ejus carminis editionibus, denique de consilio, quod in adornanda hac editione secutus sum.

De Demetrio Zeno pauca tantummodo memoriae prodita repperi. Patria ejus Zacynthus insula fuit, ut testatur auctor Dialogi, qui Paraphrasin Batrachomyomachiae praecedit. Quo anno natus et quo mortuus sit, et quod ei vitae genus fuerit, ignoramus. Ducangius Gloss. T. II in Indic. Auctor p. 47 eum circa annum 1530 floruisse existimat, inductus, ni fallor, ut hoc statueret, verbis Martini Crusii, quae statim allegabo. Praeter hanc Batrachomyomachiae paraphrasin aliud quoque Zeni poema Crusius memora

in Turcograeciae libr. VI pag. 372 (Basileae 1584) his verbis utens: „Demetrii hujus Zeni opera et dexteritate excusus est Venetiis Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν (liber de Alexandri M. rebus gestis, Versibus politicis) anno 1529, quem mihi 10 Maji 1564 Patavio Tybingam M. Engelbertus Milander misit." Hujus de Alexandro Macedone libri exemplum, quod Crusius possederat, in Academica Halensium bibliotheca asservari, certiores nos faciunt M. Joh. Tribbechovius in Elem. ling. gr. vulg. Dissert. prael. § 24 et Joh. Mich. Langius in Introductione ad poesin barbarograecam, quae exstat in Philolog. Barbarograec. part. altera p. 23. Uterque addit, hoc exemplum perpetuis Crusii adnotationibus ornatum esse. Quod ad paraphrasin Batrachomyomachiae attinet, quae versibus politicis iisque homoeoteleutis composita est, non accedo Clarissimo Thierschio in praeclara de poësi recentiorum Graecorum dissertatione pag. 16 affirmanti, hunc Zenum primum esse inter recentiores Graecos, qui versus similiter cadentes fecerit. Nam saeculo quinto decimo jam Emmanuel Georgillas finalem concentum versibus adjecerat. Vide Carais Προλεγ. εἰς τὸν δεύτερον τῶν Ἀτάκτων τόμον σελ. δ'. Versus, quibus constat hoc poëma, a Graecis appellantur πολιτικοὶ sive δημοτικοὶ i. e. populares vel vulgares. Nempe jam in veterum scriptis πολιτικὸς pro *consueto* et *apud populum usitato* poni ostendit Santenius in Commentario ad Terentianum Maurum p. 191. Quocum conferri potest usus adjectivi *publicus* apud Ovidium libro III de arte amandi v. 480:

Munda, sed e medio, consuetaque verba puellae
Scribite, sermonis publica forma placet;

ubi *publica* sermonis forma est quae alias *popularis* vocatur. Nomen hoc versuum illud genus, de quo loquor, accepit, quod in iis syllabarum quantitas, quam solam antiqui poetae in versibus pangendis sequuntur, non observatur, ac valde probabile est, omni aevo plebem graecam ignorasse prosodiam. Etenim non solum diversa poetarum genera hac in re inter se differre, sed aliis etiam temporibus alias mutationes legum prosodiacarum exstitisse, ac singulos etiam poetas multa habere peculiaria neminem, quem fugiat esse arbitror. Quis vero plebem tam doctam fuisse putet, ut quae apud singulos poetas singularum vocum quantitas sit, scivisse dicat? Immo indoctum vulgus sic carmina sua finxisse videtur, ut non syllabarum quantitatem, sed accentum normam sequeretur, cui opinioni versiculi quidam apud Athenaeum aliosque suffragantur. Ex quo enim musica ars apud Graecos multorum ingeniis exculta ad perfectionis quoddam fastigium adducta est, certiores in carminibus prosodiae leges esse coeperunt, quae cum neglecta hac arte postero tempore rursus evanuerunt. Sexti forsitan post Chr. n. saeculi sunt versus hexametri a Montefalconio Palaeograph. l. 3. p. 220 citati, in quibus posthabita syllabarum quantitate accentus rhythmi fundamentum est. Eorum autem, qui popularibus hujuscemodi versibus iambicis poemata scripserunt, antiquissimus habetur Psaltes, qui circa annum 1050 post Chr. n. Cantici canticorum para-

phrasin confecit, ut ipse dicit ἐν ἁπλουστέραις λέξεσι καὶ καθημαξευμέναις simplicioribus locutionibus et quasi plaustro protritis. Idem in extremo opere ait:

Πολιτικοῖς ἐφράσαμεν ὡς δυνατὸν ἐν στίχοις.

Sequentibus saeculis Nicetas Eugenianus, Constantinus Manasses, Johannes Tzetzes aliique iisdem versibus usi sunt. Ex his Tzetzes pag. 509 ed. Kiessling. ad talem excusationem, quam bonis versibus iambicis scripsit, sibi confugiendum esse ratus est:

Ἡ βίβλος Ἄλφα Τζετζικῶν πονημάτων
Μούσης φέρουσα μέτρα τῆς ἀγυρτίδος,
Ἡ τὴν ποδῶν εὔρυθμον οὐ τηρεῖ βάσιν,
Πάσας δὲ μισεῖ διχρόνους καὶ τριχρόνους·
Κανὼν δὲ τέχνης οὐδαμῶς αὐτῇ φίλος.
Καίτοι τί γὰρ ἄν τις τεχνικῷ γράφοι μέτρῳ,
Πόδας τε τηροῖ πανταχοῦ καὶ διχρόνους
Καὶ πάντα λεπτῶς ὡς χρεὼν ἀποξέοι,
Ἴσων δοκούντων τεχνικῶν καὶ βαρβάρων,
Μᾶλλον δὲ πολλοῦ βαρβάρων τιμωμένων,
Καὶ τῶν ἀτέχνων, ὡς σοφῶν κροτουμένων·
Καὶ ταῦτα ποίοις; τοῖς δοκοῦσι πανσόφοις.
Οὕτω τὸ καλὸν ἐξαπέστη τοῦ βίου!
Οὕτω κατεκράτησεν ἡ χυδαιότης!

Hos versus Joachimus Camerarius libro V epistolarum sic imitatus est:

Hic liber est primus laboris Tzetzici
Musae modis carentis, ast agyrticae,
Numerosa cui curae pedum haud est gressio,
Quae mensionem et odit omnem temporum.
Cordi neque est huic artis ulla regula;
Et cur enim aliquis artifice scribat modo,
Leges ubique temporum et servans pedum,
Et cuncta poliens, ut decet, subtiliter?
Artificiosa cum pari atque barbara
Majore sint adeo inque honore barbara,

Et inerudíti plausum uli docti ferant:
Enmque ab illis, qui videntur pansophi.
Ita avolavit vita ab hac laus et decus.
Vulgaris ita regnum tenet confusio.

Politicis versibus porro Theodorus Ptochoprodromus poëmata sua composuit. Huic versuum generi, ut supra diximus, jam apud Georgillam, quinti decimi saeculi poetam, finalis concentus additus invenitur. Itaque Demetrius Zenus multos hac in re habuit decessores. Caeterum licet nomen politicorum versuum generale olim fuerit, tamen a recentioribus sic soli nominantur versus tetrametri iambici catalectici, quoniam illi omnium versuum vulgarium usitatissimi sunt. Neque enim alio metro omnes illi, de quibus mentionem feci, poetae usi sunt. In hoc igitur versuum genere necessaria post secundam dipodiam caesura est. Quum autem praeter pedes, quos hoc metrum requirit, solis in prima et tertia dipodia Choriambis locus concedatur, semper quindecim syllabis hos versus constare perspicuum est, quarum octo ad prius, septem ad posterius hemistichium pertinent. Itaque a nonnullis *στίχοι πολιτικοὶ πεντεκαιδεκασύλλαβοι* vel omisso *πολιτικῶν* nomine solum *στίχοι πεντεκαιδεκασύλλαβοι* vocati sunt. Ipsam metri formam hanc esse patet:

$$\begin{matrix} \cup_\cup_ \\ _\cup\cup_ \end{matrix} \Big| \cup_\cup_ \Big\| \begin{matrix} \cup_\cup_ \\ _\cup\cup_ \end{matrix} \Big| \cup_\cup$$

Quod superest, ictus necessario incidit vel in ultimam vel in antepenultimam prioris hemistichii syllabam. Quod nisi in utraque reperitur, in alterutra sit, necesse est. Non minus flagitatur ictus in penul-

nultima posterioris hemistichii syllaba. De politicis medii aevi Graecorum versibus Struvii disputatio exstat.*) Quae ab hoc in mediae aetatis monumentis horum versuum leges indagatae sunt, eae nunc quoque omnes a Graecis observantur, nisi quod in vulgari recentioris temporis sermone plus est licentiae in syllabis synizesi conjungendis mutandaque accentuum sede.**) Quo fit, ut imperiti facile suspicari queant, alias artis metricae regulas vulgaribus nostrae memoriae poetis probari.

Dictione usus est Demetrius Zenus perspicua et quantum in vulgi loquela fieri potest tersa et emendata. Proinde hujus poëmatis studium majori commodo tironibus esse potest, quam carminum popularium, qualia nostra aetate edita sunt, quantumvis eximiorum, diligens et assidua lectio. Maxima scilicet carminum popularium ab indoctis compositorum pars laxioribus vinculis grammaticis continetur, quam Zeni poema atque idcirco illa iis magis legenda sunt, qui jam aliquantulum profecerunt. Neque tamen quisquam illa difficiliora, sed negligentiora tantum quam poema Zenianum esse dicat. Jam si in universum Graecorum sexti decimi saeculi sermonem, qualis in Zeni poëmate apparet, cum nostrae aetatis sermone vulgari contendimus, tam exiguam inter utrumque differentiam deprehendimus, ut ab iis, qui non diu in his litteris versati sunt, ani-

---

*) Ueber den politischen Vers der Mittelgriechen, eine Abhandlung von Dr. K. L. Struve. Hildesheim 1828.

**) De hoc argumento pauca disserui in Comment. ad Dialogi vers. 1 et 5.

* * * *

madverti vix queat. Quidquid igitur discrepat inter utrumque, in Commentario adnotavi. Quomodo Zenus Batrachomyomachiam imitatus sit, nolo fusius exponere, quum mihi ad finem properandum sit. Id solum adjungo, quod Ilgenius in praefatione ad Hymnorum Homericorum editionem p. XXXIV de hac paraphrasi dixit, summam et fortasse aliquanto majorem ex ea, quam ex archetypo voluptatem percipi. Etenim linguae vulgaris simplicitas cum eo, quod tractatur argumento, magis concinit, quam epici sermonis sublimitas. Huc accedit quod politicorum versuum metrum ad comici generis epos haud paulo aptius, quam artificiosius illud hexametri metrum esse, consendum est.

Dicam nunc de editionibus. Primus hoc Demetrii Zeni poema Martinus Crusius edidit in Turcograeciae libro VI pag. 373 sqq. A quo ei copia hujus opusculi facta sit, ignoramus. Ipse nihil hac de re tradidit. Nam quod p. 372 ait, ut supra vidimus, Milandrum sibi librum Zenianum de Alexandri M. rebus gestis, ab ipso auctore Venetiis excusum misisse, id quamquam subjunctum est dialogo, qui paraphrasin Batrachomyomachiae praecedit, nolim tamen simul de hoc altero Zeniani ingenii foetu accipere. Obstat nimirum huic opinioni illud praecipue, quod si cum libro de Alexandro Macedone hanc etiam Batrachomyomachiae paraphrasin a Zeno jam Venetiis impressam per Milandrum accepisset, non tantus mendorum numerus in Crusiano textu reperiretur. Quis enim credat sic scripsisse Zenum carmen suum, ut a Crusio editum est? Sin autem opinamur Cru-

sium principem esse editorem, alia nascitur difficultas. Dialogus videlicet carmini ipsi praemissus auctorem sine dubio bibliopolam habet, qui eum, ut emtores alliceret, addidit. Etenim inutilis profecto est, si, quod apud Crusium fit, medio libro inseritur. Quamobrem conjicio vel Milandrum, vel alium quempiam ex Crusii discipulis, aut amicis, quum jam divendita essent hujus paraphrasis exemplaria vel quum, quod emeret exemplum nancisci non posset, impressi libri apographum Crusio misisse. Neque hoc ullo modo improbabile est. Siquidem Zeni tempore ob emtorum paucitatem, pauca modo librorum Graecobarbarorum exempla typis describi solebant, quae spes erat, fore ut brevi distraherentur. Praeterea unius diei spatio hoc carmen manu describi potuit. Idcirco si Crusius non librum typis impressum, sed manuscriptum accepit, facilius intelligimus, cur duo fere millia scripturae mendorum, praeter alios errores, in textum irrepserint. Ipse enim Crusius, qui primus omnium Germanorum cognoscendae recentioris graecitatis cupiditate flagrabat, sed ejus accurate discendae occasionem non habebat, imperiti librarii errores tollere non poterat. Ait quidem Crusius in Epist. Dedicatoria p. 5: „Neminem etiam offendit in hujusmodi scriptis hodiernae scriptionis et accentuum incuria, quam de industria retinui, sicut in Autographis erat, ut appareat, quantum differat haec Graecia ab illa prisca." Sed falsa retinere, neque docere, quomodo corrigenda sint, atque insuper putare, posse talium rerum ignaros ex falsis aliquid discere, non est

hominis prudentis et cordati. De reliquo turpissimos cujusvis generis errores in textu toleravit, qui viros vel exercitatissimos offendere queunt, velut v. 19 *τίς ἔναι ὁ γονήισου*, ubi corrigendum vel *τίς ἔνε ἡ γονή σου* vel *τίνες ἔν' οἱ γονεῖς σου*; similiter versu 64 *φαλάγγιον* retinuit, quod mutandum in *λαλάγγιον*; pariter v. 455 *ἰκαθαροὶ* in textu reliquit, pro quo exarandum est *οἱ καθαροὶ*. Nolo his mendis immorari quae omnia in adnotationibus criticis leguntur. Aliis ergo velim quam mihi Crusius persuadeat, eam quam affert veram esse rationem, cur tot vitia intacta reliquerit. Latina carminis translatio a Crusio confecta, quam juxta textum in Turcograecia invenimus, non omni laude caret. Longe plures scilicet loci sunt, quos intellexit, quam quos non intellexit. Neque tamen haec magna laus in tam brevi opusculo est. Caeteroquin existimo Graecum aliquem, quorum plures variis temporibus ad Crusium venerunt, ut in Turcograecia narrat, italice (nam illo sermone cum Graecis plerisque locutus est) ei interpretatum esse hanc Batrachomyomachiae paraphrasin. Inde factum videtur, ut in universum bene verteret Crusius, sed quando Graeci illius interpretationem non intellexerat, a sensu aberraret. Quae sententia si cui displicet, non video, quomodo evenerit, ut Crusius omni lexicorum et grammaticorum libellorum ope carens, vel hoc tolerabili modo verteret. Quum autem saepius recte quam falso verterit, falsam quae in textu est scripturam frequenter ex ejus translatione emendare licet. Vide quae in Commentario ad v. 217 dixi.

Quod ad vertendi rationem attinet, qua Crusius usus est, fere omnia ad verbum transtulit, sic ut plurima non satis latine redderentur. Quam rem in Epist. Dedicat. p. 5 ait a nemine aequo lectore improbatum iri, quod legentium commodum solum spectaverit. Equidem hoc nomine non vitupero Crusium, quia in interprete, qui ad intelligendum archetypum aliis prodesse vult, prima virtus non elegantia sed fides est; at ubi nulla erat barbare loquendi necessitas, ibi etiam virum alioqui latinitatis non ignarum, barbare locutum esse miror. Denique Crusius paucas quasdam adnotationes, explicationis gratia, operi Zeniano adnexuit, quas non magni pretii esse, vix est quod doceam. Crusio in edendo opere Zeniano successit Joh. Mich. Langius, qui in parte altera Philologiae Barbarograecae, ut ipse dicit, textum carminis, qualem Crusii Turcograecia praebet, cum ejus translatione latina et adnotationibus repetiit. At tantum abest, ut Langius nihil nisi hoc fecerit, ut variis locis mendosum Crusii textum tacite corrigere tentaverit. Quin etiam translationem latinam, quamquam rarissime et in rebus parvi momenti, mutavit. Non tamen omnes Langii emendationes admittendae sunt, quippe qui parum novisset vulgarem graecitatem. Cujus rei exempla ex meis criticis adnotationibus peti possunt. Langius Commentarium non scripsit, neque in notis Crusianis quidquam interpolavit. Tertius hujus poematis editor fuit Ilgenius, qui in Hymnorum Homericorum et Batrachomyomachiae editionem hanc quoque Zeni paraphrasin Ranarum et Murium pugnae recepit. Omi-

sit vero dialogum, qui apud Crusium et Langium paraphrasin Batrachomyomachiae praegreditur. Quid Ilgenius in hac editione praestare voluerit, servatis ipsius verbis referamus, quae praef. pag. XXXV exstant: „Ut magis ad illorum palatum esset hoc opusculum, qui veteris Graeciae elegantiae assueti sunt, constitueram antea effrenatam in scriptura licentiam, quam indulgent sibi Graeci hodierni, coarctare et ad regulas revocare grammaticas, mutavi tamen deinde consilium, quum aliis de causis, tum quod tirones discere inde possunt, quomodo haec perversa et dissoluta scribendi ratio saepius effecerit, ut scribae in describendis veteris Graeciae operibus, gravissima vitia committerent. Hoc unum faciendum putavi, ut vocabula quae per crasin coalescunt et tanquam una vox scribi solent, dissolverem neque scriberem στούτην, sed 'ς τούτην; non στόρος, sed 'ς τ' ὅρος; non μαποστείλη, sed μ' ἀποστείλη; non νασεμπάσω, sed νὰ σ' ἐμπάσω: nam saepius fit, ut notissima vocabula, si tam peregrino habitu compareant, rei insuetum fallant. Subjunxi huic versioni versionem latinam Martini Crusii, et ad finem libri scholia; his duobus adminiculis spero, et eum qui lexico et grammatica caret, ad intelligendum poema satis instructum esse." Jam si curatius quaerimus, quae sit ratio editionis Ilgenianae, in hoc illa longe praestat superioribus, quod auctor multa menda sat ridicula e textu removit, sic tamen, ut maximam multitudinem partem adhuc relinqueret. In recognoscendo carmine Turcograecia ei non praesto erat, sed sola Langii Philologia bar-

barograeca, id quod ex eo cognoscimus, quod quaecunque Langius temere in textu mutavit, ea Ilgenius, quum quid in Turcograecia legeretur, nesciret, constanter retinuit. Qui si Turcograeciam habuisset, Langium in his procul dubio ducem non secutus esset. At Ilgenio quoque admodum exigua recentioris linguae graecae scientia erat, quam ex una Langii philologia barbarograeca et ex translatione novi testamenti in linguam vulgarem, cujus supra memini, sibi comparaverat. Quare quae vir ille bonus non correxit, ea ne corrigere quidem potuit, ut intelligitur ex ejus commentario, pleno ineptiis et erroribus. Verbi causa ad v. 89 scripsit: „γρυκήσω) γρυκάζω, γρικάζω, γροικάζω, γρυ-γρι-γροικίσω, γρυ-γρι-γροικέω *animadverto, intelligo, sentio.* Fortasse ortum est e κρίνω, κέκρικα, κρίκω, γρίκω, ut γναφεὺς et κναφεύς." Porro ad vers. 91 adnotavit: „γλυτώσω) φεύξω. al. γλυτώνω. Fort. κλίνω, ἐκκλίνω, ὑπεκκλίνω, κλιτὺς, κλίτος (angulus) κλιτόω, κλιτώνω, γλιτώνω pr. einen Winkel machen. Vid. ad v. 89." Quae quomodo emendanda sint, ex nostro Commentario discatur. Post hos decessores maxima laboris pars mihi adhuc suscipienda restabat. Textum ergo collatis omnibus superioribus editionibus recensui, sic, ut non solum a scripturae mendis eum liberarem, sed etiam ubi corruptus erat, ita emendarem, ut Zenum scripsisse probabile est. In removendo hoc ingenti vitiorum numero, perpetuo orthographiam hodie usitatam secutus sum. Ne quis vero dicat, quaedam scripturae monstra servanda fuisse, ut vetustus quidam color appa-

reret, vix metuo. Liceat hoc in aliis linguis, in graeca non licet, cujus vocum plerarumque scriptura certa est et immutabilis. Quodsi Zeni aetate quaedam voces recentiores, quarum etymologia nondum intellecta erat, male scribebantur, mihi tamen certus et verus nostrorum temporum scribendi modus ubique reponendus esse visus est. Quocirca ne Coraem quidem laudo, qui in Ptochoprodromi editione, vocabula, quae in codicibus male scripta invenerat, retenta falsa scribendi ratione, imprimenda curavit. Sunt tamen in quibus a me alii dissentire possint. De his omnibus in Commentario mentionem feci rationesque exposui quae lectionem a me in textum receptam firmarent. Sed ut liquido constaret, qualis superiorum editorum textus fuisset, totam lectionis varietatem in adnotationibus criticis memoravi, eo potissimum consilio, ut vel ex uno Crusii codice pateret, quanta sit nonnunquam in membranis singulorum elementorum sonorumque confusio. Quam tantam, quanta est, multi non suspicantes cum anxietate quadam vulgatae lectioni in veterum libris adhaerescunt. Interpretatio latina, qua hoc carmen instruxi, partim Crusiana est, partim mea. Eam scilicet translationem a plurimis lectoribus expeti sciebam, quae verba graeca accurate redderet, etiamsi locis quibusdam minus latina esset; quam laesae latinitatis notam illi vix effugere possunt, qui verbum e verbo exprimere student. Quamobrem Crusii interpretationem, fidam ubique, sic interpolare coepi, ut primum eos locos emendarem, in quibus manifesto sensum non perspexisset, deinde

eos in quibus nimis barbare locutus esset, denique eos, in quibus vox paulo aptior ad graeci vocabuli potestatem reddendam, mihi in mentem veniret. Quae quum ita sint, longe elegantiorem hanc translationem efficere potuissem, si id unice mihi proposuissem. Verum ipsum elegantiae studium, quod si nimium erat, tironibus in hoc opere obfuisset potius quam profuisset, finibus quibusdam circumscribendum putavi. Nam perspicuitatis causa quaedam minus latina reliqui, velut vocem *rhythmus* sensu barbaro in translatione dialogi. Quum autem ducentis fere locis in parvo hoc poemate Crusii interpretationem mutaverim, exstitit translatio, quae jam non magis Crusii, quam mea est. Itaque in titulo hujus libri in suspenso relinquendum esse ratus sum, meane sit interpretatio an Crusii. Quod reliquum est, ubicunque locorum Crusiana interpretandi ratio, a me improbata, ab aliis defendi posse videbatur, (duos hujusmodi locos esse suspicor) aequum me praebui judicem, memoratis in Commentario verbis Crusianis allatisque argumentis, quare illa rejecissem. Denique Commentarius quo hoc carmen illustravi duplicem habet naturam. Est enim tam eorum usui accommodatus, qui nondum vulgarem sermonem graecum dicerunt, quam qui jam diu in eo discendo versati sunt. Olim quidem constitueram talem eruditis offerre Commentarium, qui quaecunque in Corais de recentiore lingua operibus vel omissa, vel non satis recte explicata essent sic complecteretur, ut supplementum haberi posset doctrinae grammaticae ab illo

in vulgari lingua fundatae. Quod si facerem, sciebam fore, ut libri moles valde accresceret. Duae autem fuerunt mutandi consilii causae. Altera, quod mihi bibliopolae, honestissimi viri, ratio habenda erat, qui librum exiguae molis esse volebat. Altera, quod quum pauci etiam nunc sint, qui recenti graecitati operam dent, plures intelligebam futuros, qui in hoc Commentario res notas et faciles, quam qui ignotas et difficiles sibi exponi vellent. Quapropter sic explanavi carmen Zenianum, ut ea omnia in quibus antiqui sermonis gnari, recentioris autem ignari haerere possent, breviter illustrarem. In quo negotio supersedere poteram vel Ducangii Glossarium, vel Corais opera, vel recentiorum quorundam grammaticorum libellos citare. Quidquid enim dixi ita certum est, ut nullius testimonio egeat. Sed quum quam brevissime omnia tractare mihi propositum esset, necesse fuit saepenumero aliorum libros allegare, ut lectores admonerem, ubi plura de argumento, de quo forte agitur, dicta essent. Quod non eo dico, quo significem, scriptoris a me excitati sententiam, ita mihi semper probari, ut nec quod addam, nec quod demam, neque omnino, quod corrigam esse mihi videam relictum. Immo plurima sunt illis ipsis Ducangii, Corais aliorumque locis, ad quos lectores relegavi, quae corrigere potuissem, si in hoc brevitatis studio refellendis aliorum erroribus vacare licuisset. Interdum enim ea, in quibus isti peccarunt, ejusmodi sunt, ut uberiore disputatione opus sit, qua lectoribus, vulgaris linguae nondum peritis, illos lapsos esse persua-

deas. Proinde quando breviter fieri poterat, Corais, Rusiadae, Ducangii aliorumque errata in transcursu refutavi. Cf. adnot. ad vv. 158, 240, 103 et de Ducangii erroribus Indicem scriptorum. Crusium et Ilgenium nusquam confutavi. Sed ut ostenderem quomodo in toto Commentario scribendo versatus essem, si pristinum consilium sequi mihi concessum fuisset, longiores etiam adnotationes velut ad vv. 163, 263, 464, 468 adjeci. Caeterum per totum Commentarium demonstrare nisus sum, quomodo recentiorum loquendi consuetudo paulatim orta sit. Idcirco et antiqui et medii aevi auctores laudavi. Qua in re non tam id egi, ut singularum dicendi formarum antiquissimos, sed certissimos auctores citarem. Fit enim nonnunquam ut quae nobis probabilia videntur, de iis alii valde dubitent, nisi nostram sententiam multis argumentis tueamur. Quod ne nobis, unice brevitatis studiosis, faciendum esset, antiquiorum auctorum loco posteriores quandoque laudavimus. Porro quoniam evidens est, eos qui novam aliquam linguam addiscunt saepius iisdem de rebus monendos esse, quia licet sollertissimi ingenii et tenacissimae memoriae sint, tamen non omnia semel audita vel lecta sic percipiunt, ut non obliviscantur: amicorum rogatu commoveri me passus sum, ut ad priores Commentarii adnotationes in sequentibus, lectores, ubi opus videretur, rejicerem. Jam ut iniqua quorundam judicia non metuo, ita persuasum habeo, peritos et aequos judices in hoc Commentario reperturos esse, quae et nova sint, et certiora ac veriora quam quae

a quoquam alio iisdem de rebus disputata sint. Praeterea multis exemplis me ostendisse, quam necessaria sit perpetua recentioris et veteris linguae comparatio, nemo non concedet. Denique certissimum est, omnes, etiamsi grammatica et lexico vulgaris sermonis careant, hoc Commentario adjutos, totum carmen intelligere posse. Id ubi legerint, sine ulla fere difficultate nostrae aetatis Graecorum scripta pervolvent. Quae quum ita se habeant, hoc qualecunque est opusculum, litterarum graecarum studiosis utile fore ratus, prelo subjeci, ut hoc libello recentioris Graecorum linguae studium philologis commendarem. Qui libellus si eruditorum tulerit plausum, ad majores in hoc genere labores me conferam.

Scr. Berolini a. d. III. Non. Sept. a. 1837.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΟΥ ΖΗΝΟΥ

ΠΑΡΑΦΡΑΣΙΣ ΤΗΣ ΒΑΤΡΑΧΟΜΥΟΜΑΧΙΑΣ.

DEMETRII ZENI

PARAPHRASIS BATRACHOMYOMACHIAE.

Διάλογος.

Φιλομαθὴς καὶ βιβλιοπώλης.

φιλομ. Μὴ νά 'χεις τίποτες βιβλιὸ' νέο', νὰ μοῦ πουλήσῃς;
βιβλιοπ. Ναὶ, ἔχω ἕνα εὔμορφο· κ' ἰδές το, ἂν ὁρίσῃς.
φιλομ. Εἰπές μου, πῶς τὸ λέγουσι; 'τι τώρα δὲν ἀδειάζω.
"Εχω δουλειὰ' σπουδακτική'· δὲν στέκω, νὰ διαβάζω.
βιβλιοπ. Ὁμήρου τοῦ σοφώτατου Βατραχομυομαχία.
φιλομ. Δὲν κάμνει τοῦτο γιατ' ἐμὲ, ὅτι 'μιλεῖ βαθεῖα.
βιβλιοπ. Μᾶλλον 'μιλεῖ ἁπλούστατα, γιατὶ ἐμεταγλωττίσθη
Καὶ ἀπὸ στίχον ἔμμετρον τώρα ἐρρίμαρίσθη.
φιλομ. Σὲ ῥίμα' ἔνε; τὸ λοιπὸν δὸς μοῦ το, μὴν ἀργήσῃς·
Καὶ ἔπαρέ μου εἰς αὐτὸ, εἴ τι ἐσὺ ὁρίσῃς.
'Αλλὰ ἐτοῦτο σ' ἐρωτῶ, παρακαλῶ σε, 'πέ το,
Τίς εἰς τὴν ῥίμα' τό 'βαλε καὶ μεταγλώττισέ το;
βιβλιοπ. 'Ξεύρεις τον καὶ γνωρίζεις τον φίλος σου ἔνε κεῖνος,
"Ενε ἀπὸ τὴν Ζάκυνθον, Δημήτριος ὁ Ζῆνος.

Dialogus.

Studiosus et bibliopola.

Stud. Habesne aliquid libelli novi, ut mihi vendas?
Bibliop. Ita, habeo quendam pulchrum: inspice, si vis.
Stud. Dic mihi, quomodo eum appellent? quia nunc non est mihi otium.
Habeo negotium serium, festinatione indigens: non maneo, ut legam.
Bibliop. Est Homeri sapientissimi Ranarum et Murium pugna.
Stud. Non facit is ad meum usum, quia loquitur alte.
Bibliop. Imo loquitur simplicissime, quia est in nostram linguam translatus,
Et e versu artificioso nunc ad Rhythmos collatus.
Stud. In Rhythmis est? Ergo da mihi ipsum, neve cunctare: Et accipe a me pro eo quodcunque pretium tu constitueris.
Verum hoc te interrogo, oro te, dic hoc,
Quis ad Rhythmos illum contulerit et interpretatus sit?
Bibliop. Scis ipsum, nosti ipsum: amicus tuus est ille.
Est e Zacyntho, Demetrius Zenus.

Παράφρασις

τῆς Βατραχομυομαχίας.

Πρὸ τοῦ ν' ἀρχίσω, δέομαι τὸν ὕψιστον τὸν Δία,
Νὰ μ' ἀποστείλῃ βοηθοὺς 'ς τούτην τὴν ἱστορίαν
Ταῖς Μούσαις, ὁποῦ κατοικοῦν 'ς τ' ὄρος τοῦ 'Ελικῶνος,
Γιατὶ ἐγὼ δὲν δύνομαι, νὰ λογαριάσω μόνος
Μάχην τὴν πολυτάραχον τοῦ ἰσχυροῦ τοῦ Ἄρη,
Ὁποῖος θεὸς λογίζεται καὶ θεῖον παλληκάρι.
Ὅλους λοιπὸν παρακαλῶ, (νά 'χετε τὴν ὑγειά' σας)
Εἰς νοῦν καλὰ νὰ βάλετε, ν' ἀνοίξετε τ' αὐτιά σας,
Ν' ἀκούσετε, γιατί τί ἀφορμὴ' οἱ ποντικοὶ ἐποῖκαν
'ς τοὺς βορβακοὺς μάχην πολλὴν, κ' εἰς πόλεμον ἐμπῆκαν,
Κι' ἀνθρώπους ἐμιμήθησαν, τοὺς παλαιοὺς τοὺς ἄνδρες
(Ὡσὰν τὸ λέγουν, κι' ἄδεται) τοὺς φοβεροὺς γιγάντες.
Ἕναν καιρὸν ὁ ποντικὸς ηὑρέθην ἰδρωμένος,
Γιατὶ τῆς γάτας ἔφυγε κ' ἤτονε διψασμένος,
Κ' εἰς λίμνην ἐκατήντησε, τὴν δίψαν του νὰ 'βγάλῃ,
Καὶ τὸ πηγούνι τό 'βρεξε μὲ ὄρεξιν μεγάλη'.
Ὁ βορβακὰς τὸν ἐρωτᾷ· ξένε μου, ποῖος εἶσαι;
Καὶ πόθεν ἦλθες ἐδαπᾶ; μ' ἐμὲν φιλιὰ ποῖσε.
Εἰπές μου τὴν ἀλήθειαν τίνες ἔν' οἱ γονεῖς σου,
Καὶ μὴ μοῦ κρύψῃς τίποτες, τὸ ποῖσαν οἱ 'δικοί σου.

Paraphrasis

Batrachomyomachiae.

Antequam incipiam, precor summum Iovem,
ut mihi mittat adjutrices ad hanc historiam
Musas, quae habitant in monte Helicone,
propterea quod ego noń possum recensere solus
pugnam turbulentam fortis Martis,
qui deus censetur et divinus juvenis.
Omnes proinde rogo (ita habeatis sanitatem vestram)
Animo probe ut mandetis, ut aperiatis aures vestras,
ut audiatis, ob quam causam mures fecerint
ranis pugnam magnam, et in bellum ingressi sint;
et homines imitati sint, priscos illos viros,
(sicut id dicunt et canitur) formidabiles illos gigantes.
Quodam tempore mus inventus est sudore fluens,
eo quod felem fugerat; et erat sitibundus.
Atque ad paludem descendit, sitim suam ut depelleret,
et mentum rigavit cupiditate magna.
Rana eum interrogat: hospes mi, quis es?
Unde venisti huc? Mecum amicitiam fac.
Dic mihi veritatem: qui sunt parentes tui?
Neve me cela quicquam eorum quae fecerunt tui.

Κι' ἂ' σὲ γνωρίσ' ἀληθινὸν, θὲς ἔχει τὴν φιλιά' μου,
Καὶ νὰ σ' ἐμπάσω, νὰ ἰδῇς ὅλην τὴν κατοικιά' μου.
Καὶ φιλικὰ χαρίσματα ἐγὼ νὰ σοῦ χαρίσω,
Καὶ νὰ σὲ στρέψω, τάσσω σου, πάλι ὀμπρὸς ὀπίσω.
Τὴν λίμνην τούτην, 'ποῦ θωρεῖς, ἐγὼ τὴν κυριεύω,
Τοὺς βορθακοὺς, ὁποῦ 'νι ἐδῶ, ὅλους τους βασιλεύω.
Φυσίγναθον μὲ κράζουσι. Νὰ 'πῶ καὶ τὸν πατέρα,
Τίς ἔνε, 'ποῦ μὲ γέννησε, καὶ ποιά 'νε ἡ μητέρα,
Πηλὸν τὸν ὀνομάζουσι, καὶ κείνην 'Τγρασία'.
Οἱ δύο μ' ἀναθρέψασι μὲ ἄλλα τους παιδία.
'ς τὸν 'Ριδανὸν τὸν ποταμὸν, ἐκεῖ ἐγνωριστῆκαν,
'Αλλήλους ἐφιλεύτησαν, καὶ τότες ἐσμιχτῆκαν.
'Εμένα τότ' ἐγέννησαν 'ς τοῦ ποταμοῦ τὰ χείλη,
Εἰπὲ καὶ σὺ τὸ γένος σου, καὶ νὰ γενοῦμε' φίλοι·
Γιατὶ καὶ σὺ μοῦ φαίνεσαι κατὰ τὴν θεωρία',
'Απὰ μορφιὰ' καὶ δύναμιν, νὰ ἔχῃς βασιλεία'.
Τότε τοῦ ἀποκρίθηκε ὁ ποντικὸς καὶ εἶπε·
Τί τὰ ζητᾷς τὸ γένος μου; τὸ ὄνομά μου λεῖπε.
Τοῖς πᾶσι ἔνε φανερὸν, 'Ασίας καὶ Εὐρώπης,
Τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ, θεοῖς καὶ τοῖς ἀνθρωποις.
"Ομως, ἂν θέλῃς καὶ ποθῇς, εἰς θύμησι' νὰ ἔχῃς
Το ὄνομὰ τοῦ γένους μου, καὶ σὺ νὰ τὸ κατέχῃς,
Μετὰ χαρᾶς νὰ σοῦ τὸ 'πῶ. "Ακουσε, πῶς καλοῦμαι.
Ψιχάρπαγα μὲ λέγουσι, καὶ δὲν τὸ ἀπαρνοῦμαι·
Τίὸς τοῦ μεγαλόψυχου εἶμαι τοῦ Ψωμοφάγου,
'Οποῦ 'ν' τὸ γένει' του μακρὺ παρ' ὅμοιον τοῦ τράγου.
'Η μήτηρ μω 'ν' εὐγενικὴ, τὴν κράζουν Λειχομύλη',
Τὸν πλειὸν καιρὸν εὑρίσκεται κατάσπρη εἰς τὰ χείλη·
Τοῦ Λαρδοφάγου τοῦ ῥηγὸς λέγεται θυγατέρα.
'Εκείνη μ' ἔφερε εἰς φῶς κ' ἐς τὸν γλυκὺν ἀέρα·

Ac, si te cognovero veracem: habebis amicitiam meam,
et te introducam, ut videas omne domicilium meum.
Etiam hospitalia munera tibi donabo;
Ac me reducturam te esse promitto tibi rursus in locum, ubi
Paludi huic, quam vides, ego dominor; [antea fuisti, retro
Ranis, quae sunt hic, cunctis impero.
Physignathum me appellant. Quin dicam et patrem,
quis sit, qui me genuit, et quae sit mater.
Peleum illum nominant, et hanc Hygrasiam.
Ambo me educarunt, cum aliis suis liberis
ad Eridanum flumen; illic invicem se cognoverunt,
mutuo se amaverunt, et tunc inter se miscuerunt.
Me tunc genuerunt ad fluminis ripas.
Dic etiam tu genus tuum, et fiemus amici;
propterea quod et tu mihi videris ex aspectu,
e forma et viribus, obtinere regnum.
Tunc ei respondit mus ac dixit:
Quid quaeris genus meum? Nomen meum omitte.
Omnibus est notum, Asiae et Europae,
volucribus coeli, diis atque hominibus.
Attamen, si vis et optas, in memoria ut habeas
nomen generis mei, et ut id retineas,
libenter tibi dicam. Audi, quomodo vocer.
Psicharpagem me dicunt, neque id nego.
Filius magnanimi sum Troxartae,
cui est barba longa sicut hirci.
Mater mea est nobilis, quam vocant Lichomylam,
plerumque (tempus) reperitur albissima labiis;
Pternotroctae regis dicitur filia.
Illa me tulit in lucem et in dulcem aërem;

Κ' εἰσὲ καλύβη' μ' ἔκαμε, ὄχι μ' ὀλίγον κοπον
Καὶ μὲ τροφαῖς μ' ἀνάθρεψε, ὁποῦ 'νε τῶν ἀνθρωπων,
Μὲ σῦκα, μὲ καρύδια, καὶ μετὰ λεφτοκάρια,
Καὶ μὲ καλὰ ἀμύγδαλα, ἐκεῖνα τὰ καθάρια·
Καὶ τώρα ἄλλα περισσὰ γεμίζω τὴν κοιλιά' μου.
Καὶ πῶς ἐσὺ, Φυσίγναθε, νὰ ἔχῃς τὴν φιλιά' μου,
'Ποῦ δὲν ὁμοιάζ' ἡ φύσι' μας εἰσὲ κανέναν τρόπον;
'Η ἐδική μου δίαιτα ὁμοιά 'νε τῶν ἀνθρώπων.
'Εσὺ 'ς τὰ ὕδωρ κατοικεῖς, κ' ἐκεῖ 'νε ἡ ζωή σου,
'Εκ τοῦ νεροῦ τὰ βόσανα γίνεται ἡ τροφή σου.
'Εγὼ, ἀπ' ὅσα 'βρίσκονται 'ς τὰ σπίτια τῶν ἀνθρώπων,
'Απ' ὅλα τρώγω θαῤῥετὰ, χωρὶς κανέναν κόπον.
Δὲν μὲ λανθάνει τὸ ψωμὶ τὸ καλοζυμωμένο',
Οὐδ' ὅμορφον λαλάγγιον, μὲ μέλι γεναμένο',
Οὐδὲ καλαῖς αὐγόπηταις ἢ πολυσουσαμάταις,
Οὐδὲ ἐκείναις ἢ λευκαῖς, ὁποῦ 'νε ζαχαράταις,
Οὐδὲ νεόπηκτον τυρὶ, 'ποῦ κάμνουν μὲ τὸ γάλα,
Οὐδὲ μυζήθραις ἁπαλαῖς καὶ τὰ τυρία τ' ἄλλα.
Δὲν μὲ λανθάνει γλύκυσμα, ὀπ' ὅλοι τ' ἀγαποῦσι,
Καὶ οἱ οὐράνιοι θεοὶ ἅπαντες τὸ ποθοῦσι,
Οὐδ' ἄλλα, ὅσα φαγητὰ, 'ποῦ βράζουν μὲ τζουκάλια
Οἱ μάγειροι, 'ποῦ ξεύρουσι καὶ κάνουσίν τα κάλλια
Καὶ μέσα 'ς αὐτὰ βάνουσι ταῖς κάλλιαις μυρωδίαις,
'Ποῦ φέρνουν ἐκ τῆς Ἰνδιας, καὶ κάμνουν ἀρτυσίαις.
'Εγὼ εἰς μάχαις ἔτυχα· δὲν ἔφυγα ποτέ μου
Τὸν θάνατον, 'ποῦ μέλεται, νὰ 'λθῃ ἐκ τοῦ πολέμου.
Καὶ χρεί' ἂν ἔνε πού ποτες, δὲν τρέχω 'ς τὴν σκουτέλα',
'Αλλὰ κείνους ἐσμίγομαι, ὅσοι 'νι ἐς τὴ' 'μπροστέλλα',
Καὶ νὰ σοῦ 'πῶ περσότερο· ἄνθρωπον δὲν φοβοῦμαι.
Καὶ τοῦτο ἔν' ἀληθινὸ', καὶ δὲν τὸ ἐπαινοῦμαι.

atque in tugurio me edidit, haud cum parvo labore;
et cibariis me educavit, quae sunt hominum,
ficis, juglandibus, et avellanis,
nec non bonis amygdalis, illis exquisitis;
nunc quoque aliis abunde impleo ventrem meum.
Quomodo vero tu, Physignathe, habeas amicitiam meam,
cum non congruat natura nostra ullo modo?
Meus victus similis est victui hominum.
Tu aquam incolis, et ibi est vita tua,
ex aquae herbis fit alimonium tuum.
Ego, quaecunque inveniuntur in domibus hominum,
de his omnibus comedo fidenter sine ullo negotio.
Non me latet panis bene fermentatus,
Nec pulchrum libum, admixto melle factum,
nec bonae placentae ex ovis compositae, multoque sesamo paratae,
nec illa alba (frusta), quae sunt saccharo condita,
neque recens coagulatus caseus, quem faciunt e lacte,
nec Laconici casei delicati et casei alii.
Non me latet bellariorum genus, quod omnes appetunt,
et coelites quoque omnes disiderant,
neque alia, quaecunque edulia (sunt), quae coquunt in ollis
coci, qui (artem) sciunt parantque illa melius,
et in iis ponunt optimos odores,
quos afferunt ex India, et faciunt condimentis.
Ego praeliis interfui; haud fugi unquam
mortem, quae timetur, ne veniat e bello.
Et opus (mea opera) si est uspiam, non eo ad scutellam,
sed illis immisceor, qui sunt in primo pugnantium ordine.
Atque ut tibi dicam plura: hominem non metuo,
hoc verum est, nec id tamen glorior.

Ὑπάγω εἰς το στρῶμα του, ἐκεῖ, οπου κοιμαται,
Δαγκάνω τον 'ς τὸ δάκτυλο', καὶ δὲν ἀνανοᾶται·
Δαγκάνω καὶ τὴν φτέρνα' του, τίποτες δὲν τὸ χρῃζει,
'Αμὴ κοιμᾶται νόστιμα, τόσ' ὅτι ροχαλίζει.
'Απ' ὅσα 'βρίσκονται 'ς τὴν γῆν, τίποτα δὲν τα τάσσω,
Τὸν γάτον καὶ τὸν γέρακα, περίσσια τοὺς τρομάσσω.
Καὶ κείνην τὴν ξυλόγατα' ὅλοι μας τὴν μισοῦμε'.
Μὲ δόλον δίδει θάνατον, γιὰ τοῦτο τὴν φοβοῦμαι·
Τὴν γάτα', ὅπου τὴν ἰδῶ, κ' ἐκεῖ, 'που τὴν γροικήσω,
'Από τὸν φόβον μ' ὅρχομαι σχεδὸν νὰ ξεψυχήσω,
Κ' ἐδῶ κ' ἐκεῖ στοχάζομαι, τὸ πῶς νὰ τῆς γλυτώσω,
Καὶ νά 'βρω τρῦπα' 'κεῖ κοντὰ, νὰ σώσω, νὰ τρουπώσω,
Μήπως καὶ καταλάβῃ με, καὶ σώσῃ, καὶ μὲ πνίξῃ,
Κ' εἰς τοῦτο τ' ὅμορφον κορμὶ τὰ 'νυχια της νὰ 'μπήξῃ.
Αὐτὰ τὰ τρία 'βρίσκονται σὲ κάμπους καὶ εἰς ὄρη
'Εμένα καὶ τοῦ γένους μου ἐχθροὶ θανατηφόροι.
Μὰ σὺ φοβᾶσαι ἅπαντα, μικρά τε καὶ μεγάλα,
Συρνόμενα, πετούμενα, ἀνθρώπους καὶ τὰ ἄλλα·
Κι' ὡσὰν τὸ λέγ' ἡ παροιμιὰ, τὸν ἴσκιον σου φοβᾶσαι.
Μόν' ἡ φωνή σου ἡ σκληρὴ σὲ δείχνει κάτινά σε.
'Εγὼ δὲν τρώγω λάχανα, τῆς λίμνης τὰ βοτάνια,
Οὐδὲ κραμπιὰ, οὐ σέλινα, οὐ πράσα καὶ ραπάνια·
Αὐτάνα ὅλα τρώγετε ἐσεῖς καὶ τ' ἀγαπᾶτε,
"Οσοι εἰς λίμνην στίκεστεν καὶ μέσα κατοικᾶτε.
Καὶ τότε ὁ Φυσίγναθος μὲ τ' ὅμορφόν του ἦθι
Τὸν Ψιχαρπάκτην ἔβλεψε, λέγοντάς τ' ἀποκρίθη·
Πολλὰ καυχᾶσαι, φίλε μου, ἐσὺ 'ς τὴν λαιμαργίαν,
Πῶς ἀπὸ νοστιμόγλυκα γεμίζεις τὴν κοιλίαν.
Καὶ εἰς ἐμᾶς εὑρίσκονται φαγιὰ γιὰ τὴν ζωή μας,
Κ' εἰς τὰ νερὰ καὶ εἰς τὴν γῆν γεινᾶται ἡ τροφή μας·

Vado in stratum ejus, illo, ubi cubat,
mordeo ipsum in digito, nec animadvertit.
Mordeo et calcem ejus, nequaquam id curat,
sed dormit suaviter, ita ut stertat.
Quaecunque inveniuntur in terra, nequaquam ea curo,
felem (tantum) et accipitrem supra modum tremo;
et illud (notum) decipulum cuncti nos odimus.
Dolo dat mortem; ideo illud horreo.
Felem ubicunque video, et ubiubi animadverto,
prae metu meo abeo, fere ut exanimer.
(Itaque) huc et illuc respecto, quonam modo eam effugiam,
et inveniam foramen illic in propinquo, ut eo properem, et me
Ne qua comprehendat me, invadat, et me suffocet, [condam,
et in hoc pulchro corpore ungues suos defigat.
Haec tria inveniuntur in plano et in montibus
mihi et generi meo inimici capitales.
Sed tu formidas universa, tum parva, tum magna,
reptilia, volucria, homines et caetera;
atque ut dicit proverbium, umbram tuam metuis.
Sola vox tua aspera te indicat (esse) aliquid.
Ego non vescor oleribus, (aut) palustribus herbis,
nec brassica, nec apio, nec porro, aut raphanis.
His omnibus vescimini vos, et iis delectamini,
quicunque in palude manetis, et inibi habitatis.
Tum Physignathus subridens pulchro ipsius modo
Psicharpagem aspexit, dicensque (ita) respondit:
Multum gloriaris, amice mi, tu de gula,
dulcibus (scilicet) rebus te replere ventrem (tuum).
Etiam apud nos inveniuntur cibaria, ad vitam nostram (sus-
et in aquis et in terra nascitur victus noster. [tentandam);

Χάριν διπλὴν μᾶς ἔδωκεν ὁ Ζεὺς, νὰ χαιρωμαστε,
Τὴν γῆν, γιὰ νὰ χορευωμεν, κ' ὕδωρ, νὰ κρυβωμαστε.
Καὶ μέσα κ' ἔξω ἔχομεν οἴκους, 'που κατοικοῦμε'.
Ἂν θέλῃς, νά 'λθῃς καὶ ἐσὺ, ἀντάμα νὰ ἐμποῦμε',
'Αναίβα εἰς τὴν ῥάχι' μου, κ' εὔκολα νὰ σ' ἐμπάσω.
'Αλήθεια κράτει με σφικτὰ, μὴ πέσῃς καὶ σὲ χασω.
Καὶ 'σὰν ἐμποῦμε', πίστευσον, θέλεις χαρῆ περίσσια,
Κ' εἰς τό 'βγα νά 'χῃς χάρισμα καὶ ἔμορφα κανίσκια.
Τοὺς λόγους τούτους ἔπαψε, τὴν ῥάχι' τοῦ γυρίζει,
Κι' ὁ ποντικὸς ἐλεύθερα ἀπάνου του καθίζει,
Κι' ἀπόκοτα τὰ χέρια του τὸν τράχηλόν τ' ἁπλόνει.
'Ο βορβακὰς ἀρχίνησε ν' ἁπλόνῃ, νὰ ζαρόνῃ,
Κι' ὁ ποντικὸς εὐφραίνετον 'ς τὸ πρῶτον, ὅπου θώρειε
Πῶς ἐκολύμπα ἔμορφα, ἐθαύμαζε κι' ἀπόρειε.
'Αλλὰ, ὡσὰν ἀρχίνησαν 'κ τὴν γῆν νὰ ξεμακραίνουν,
Κ' εἰσὲ νερὰ βαθύτατα τῆς λίμνης νὰ ἐμπαίνουν,
Ἤρχονταν μαῦρα κύματα καὶ τὸν ἐκουκουλόναν
Τότε νὰ τρέμῃ ἄρχισε, τὰ 'μιάτια του βουρκόναν.
Μεταναιωμένος ἦτονε, δὲν εἶχε, τί νὰ ποίσῃ,
Γιατὶ δὲν ἦτον δυνατὸ', ὀπίσω νὰ γυρίσῃ.
Μόναι τὰ πόδι' ἀπόσφιγγε 'ς τοῦ βορβακοῦ τὰ πλάγι',
Συχνὰ, συχνὰ ἐστέναζε, δὲν ἤβλεπε, ποῦ πάγῃ.
Ὅφις ἐφάνη φοβερὸς μέσα εἰς τὸ ποτάμι,
'Ο βορβακὰς ἐτρόμαξε, δὲν εἶχε, τί νὰ κάμῃ,
Εἰς τὸ νερὸ' ἐβούτιξε, νὰ φύγῃ τὸν θυμόν του,
Τὸν Ψιχαρπάκτην ἄφηκε, νὰ πλέγῃ, μοναχόν του.
Εὐθὺς ὡσὰν τὸν ἄφηκε, 'ς τὸ ὕδωρ ἐξαπλώθη,
Κι' ἀπὸ τὸν φόβον τὸν πολὺν ὅλος ἀπενεκρώθη.
Τὰ χέρια ἐκατάσφιγγε, ἔτριξε καὶ τὰ 'δόντια,
Τὴν δύναμίν του ἔχασε, καὶ τρέμιαν του τὰ πόδια·

Beneficium duplex nobis dedit Iuppiter, ut gaudeamus;
(super) terram ut saltemus, et (in) aquam ut nos abscondamus.
Intus et extra habemus domos, ubi habitamus.
Si vis et tu venire, ut una intremus:
ascende dorsum meum, et facile te introducam.
Veruntamen tene me stricte, ne decidas neve te amittam.
Postquam intraverimus, mihi crede, gaudebis, supra modum;
et in exitu habebis donum et pulchra munera.
Verba haec finivit: dorsum illi obvertit.
Tunc mus libere super eam considit,
et audacter manus suas collumque extendit.
Tunc rana coepit se extendere et contrahere.
Mus principio laetari, cum videret,
quam nataret pulchre, mirari, stupere.
Verum ubi coeperunt a terra longius recedere,
et in aquas profundissimas lacus ingredi,
ac veniebant nigri fluctus, eumque inundabant:
tunc tremere coepit, oculi ejus humescebant.
Poenitens (facti) erat, (quia) non habebat, quid faceret,
quia fieri non poterat, retro ut rediret.
Tantum pedes stringebat ad ranae latera;
creberrime ingemiscebat, nec videbat, quo iret.
Natrix apparuit horrendus in flumine.
Rana contremiscebat, non habebat, quid ageret.
In aquam se demersit, ut evitaret iram illius,
Psicharpagem dimisit, ut nataret solus.
Statim, ut eum dimisit, in aqua expansus est,
et prae metu ingenti totus exanimatus.
Manus constringebat, stridebat dentibus,
vires suas perdidit, tremuere pedes ejus.

Πολλαῖς φοραῖς ἐβύθιζε καὶ πάλι ἀνδρευέτου,
Κλοτζῶντας 'σὰν ἠμπόρεις κι' ἀπάνου ἐστρεφέτου.
Δὲν ἤτουε 'μπορούμενο', νὰ 'γλύσῃ τὸ κορμί του,
Οὐδὲ νὰ φύγῃ θάνατου, νὰ σώσῃ τὴν ζωή' του.
'Ωσὰν κουπὶ εἰς τὸ νερὸ' ἔσυρνε τὴν ὀρά' του,
Καὶ τοὺς θεοὺς ἐδέετου, νὰ φύγῃ τοῦ θανάτου.
Τοὺς λόγους τούτους ἔλεγε μὲ χείλη πικραμιένα.
Τέτοιας λογῆς ἔβαλε ὁ βορθακὰς ἐμένα
'ς τὴν ῥάχιν του, 'σὰν ἔβαλε ὁ Ζεὺς, ὅταν ἐγίνη
Ταῦρος, καὶ ἐφορτώθηκε 'ς τοὺς νώμους του ἐκείνη'
Εὐρώπην, 'ποῦ τὴν ἅρπαξε ἀπὸ τὴν Σιδωνίαν,
Καὶ θάλασσαις ἀπέρασε μεγάλαις, καὶ μὲ βίαν,
Κ' εἰς τὸ νησὶ τὴν ἔβγαλε τῆς Κρήτης παραυτίκα,
Γιατὶ ὁ Ζεὺς ὁ θαυμαστὸς σ' ἐκεῖνο ἐκατοίκα.
Τὰ λόγια τοῦτα ἔμπαξε· γιατὶ ἄρχισε νὰ κλίνῃ
Τὴν κεφαλήν του χαμηλὰ κ' ἐκ τὸ νερὸ' νὰ πίνῃ,
'Ηι τρίχες του ἐβράχησαν καὶ βάρος τοῦ ἐκάναν,
Καὶ κάτου τὸν ἐτραύιξαν, 'ς τὰ βάθη τὸν ἐβάναν.
Φωνὴν μικρὰ' ἠθέλησε μὲ βία' νὰ ἐβγάλῃ,
Κι' ἀγάλι 'γάλι ἔλεγε, καὶ ταπεινὰ ἐλάλει.
Τὸν βορθακὰ' ἐμέμφετου, ὁποῦ 'του ἡ αἰτία,
Νὰ τονὲ βάλῃ ἀνόλπιστα σὲ τέτοιαν ἀπωλεία'.
Δὲν θέλεις φυγει, ἔλεγε, οὐδὲ ποσῶς νὰ 'γλίσῃς,
Ὦ κάκιστε Φυσίγναθε, οὐδὲ ζωὴ' νὰ ζήσῃς,
'Αλλὰ νὰ δώσῃς θάνατον κακὰ καὶ πικραμιένα,
Γιατὶ μὲ ἐθανάτωσες μὲ πονηριὰ' ἐμένα.
'ς τὸν νῶμόν σου μὲ ἔβαλες, κ' εἰς τὸ νερὸ' ἐμπῆκες,
Κι' ἀπέκει μὲ ἀπόλυσες, καὶ νὰ πνιγῶ μ' ἀφῆκες.
Δὲν ἤσουν κάλλιος μοῦ ποτε, 'ς τὴν γῆν νὰ πολεμήσῃς
Καὶ νὰ παλαίψῃς 'σὰν ἐμὲ, κ' εἰς μάχη' νὰ νικήσῃς·

Saepenumero in profundum deferebatur, (unde) rursus viriliter
calcitrans, quantum poterat, et sursum redibat. [eluctabatur,
Fieri non poterat, ut redimeret corpus suum,
neque ut effugeret mortem, ut conservaret vitam suam.
Tanquam remum in aqua trahebat caudam suam,
et deos precabatur, ut effugeret mortem.
Verba haec proferebat labiis dolentibus:
Tali modo posuit rana me
in tergo suo, quemadmodum imposuit Iuppiter, quando factus est
taurus, et onus suscepit in humeros suos illam
Europam, quam rapuerat e Sidonia,
et maria trajecit magna, per vim,
atque in insulam eduxit Cretae continuo,
quoniam Iuppiter ille admirabilis in ea habitabat.
Hunc sermonem induxit; et quod incepit inclinare
caput suum deorsum, et ex aqua bibere,
pili ejus madefacti sunt, et gravitatem ei fecerunt,
deorsum eum trahebant, in profundo ponebant.
Vocem parvam voluit vi emittere,
paulatim ac tractim dicebat, et submisse loquebatur.
Ranam insectabatur, quae (erat causa
ut) ipsum conjiceret insperato in talem interitum.
Haud effugies, inquit, neque ullo modo evades
Pessime Physignathe, neque vitam retinebis,
sed lues mortem male et acerbe,
eo quod me necasti malitiose.
In humero tuo me posuisti, et in aquam intravisti,
atque deinde me deseruisti, et ut suffocarer dimisisti.
Non eras melior me unquam, in terra ut bellares,
et ut luctareris, sicut ego, et in pugna ut vinceres.

Οὐδὲ νὰ δράμῃς κάλλια μου, καὶ νὰ μονομαχήσῃς·
'ς ἄλλο δὲν ἤσουνε καλὸς, μόναι νὰ μὲ πλανήσῃς.
Βλέπει Θεὸς τὴν ἀδικιὰ' καὶ κάνει δικειοσύνη',
Καὶ τιμωρεῖ τοὺς ἄδικους χωρὶς ἐλεημοσύνη'.
Τὸν ἐδικόν μου Θάνατον, τὸν Θέλει ἐκδικήσει
Τὸ στράτευμα τῶν ποντικῶν καὶ Θὲ σὲ τιμωρήσει.
Τοὺς λόγους τούτους ἔπαυσε, καὶ χάΘην ἡ φωνή του,
Καὶ ὅλος ἐξαπλώΘηκε, κ' ἐβγῆκεν ἡ πνοή του.
'Ο Λειχοπίναξ ἔτυχε ἐπάνου 'ς ἕναν τόπου,
Καὶ εἶδε τὰ γινόμενα, καὶ βάλΘηκεν εἰς κόπου,
Νὰ πᾷ, νὰ 'βρῇ τοὺς ποντικοὺς, καὶ νὰ τοὺς τ' ἀναγγείλῃ,
Ηὗρέ τους ὁμῶς, κ' εἶπέ τους· ἀκούσατε ὦ φίλοι·
Τὸν Ψιχαρπάκτην τὸν καλὸν οἱ βορΘακοὶ ἐπνίξαν.
'Εκεῖνοι, 'σὰν τὸ γροίκησαν, τὰ 'δόντια τους ἐτρίξαν,
Διαλαληπάδες ὅρισαν, νὰ 'βγοῦν, νὰ διαλαλήσουν,
Βουλὴ νὰ γένῃ σύντομα, καὶ νὰ μηδὲν ἀργήσουν,
Νὰ μαζωχτοῦσιν ὅλοι τους ἐκεῖ 'ς τοῦ Ψωμοφάγου,
Πατρὸς τοῦ κακοδαίμονος τ' ἄΘλιου τοῦ Ψιχαρπάγου,
'Οποιὸς 'ς τὴν λίμνην ἔπλεγε νεκρὸς ἐξαπλωμένος,
Ἄκλαυστος καὶ ἀΘρήνητος, 'σὰν τό 'χει πᾶς ὁ ξένος.
'Ωσὰν ἐμαζωχτήκασιν, ηὑρέΘη σηκωμένος,
'Ως πρῶτος ὁ Ψωμόφαγος, ὁποῦ 'τον λυπημένος.
'ς τὴν μέσην τους ἐστάΘηκεν, καὶ ἔπαψε νὰ κλαίγῃ,
Τά 'μιάτια του ἐσφούγγισε, καὶ ἄρχισε νὰ λέγῃ.
Ὦ φίλοι γνησιώτατοι, πατέρες κι' ἀδελφοί μου·
Ὅλοι μὲ συμπασχήσετε 'ς τὴν λύπην τὴν 'δική' μου.
Νὰ μ' ἐλεήσῃ πᾶσα εἷς πρέπει 'ς τὴν συμφορά' μου,
Γιὰ τὸν κακὸν τόν Θάνατον, 'ποῦ λάβαν τά παιδιά μου.
Τιοὺς τρεῖς μόνους ἔκαμα, κ' ἦσαν 'ς τὴν συντροφιά' μου,
Ποτέ μου δὲν τοὺς ἄφινα, νὰ 'βγοῦν ἀπὸ κοντά μου.

Μὰ

neque ut curreres velocius me, et in certamen singulare descen-
ad aliud non eras utilis, nisi ut me deciperes. [deres;
Aspicit deus injuriam, et facit justitiam,
ac punit injustos absque misericordia.
Meam mortem ultum veniet
exercitus murium, et te puniet.
Orationem hanc finivit; tum defecit vox ejus,
et totus extensus est, exiitque spiritus ejus.
Lichopinax forte in quodam loco stetit,
vidit, quae fiebant, et se contulit ad laborem,
ut iret, et inveniret mures eisque haec nunciaret.
Reperit eos una, et dixit eis: Audite, o amici!
Psicharpagem bonum ranae (aquis) suffocarunt.
Illi, ut hoc intellexerunt, dentibus frendebant,
Praeconibus imperarunt, ut exirent ac proclamarent,
concilium ut haberetur cito, et ne cunctarentur;
ut congregarentur universi, illic in Troxartae aedibus,
qui pater fuerat infelicis et miseri Psicharpagis,
qui in lacu natabat exanimis, expansus,
indefletus, nullo lamento honoratus, sicut id habet quivis pere-
Postquam convenerunt, inventus est erectus, [grinus.
tanquam princeps, Troxartes, qui erat tristis.
Stetit in medio illorum, ac desiit flere,
oculos suos abstersit, et coepit fari:
O amici germani, patres et fratres mei!
cuncti mecum dolete in hoc meo luctu.
Mei misereri unumquemque decet in calamitate mea,
ob malam mortem, quam ceperunt (i. e. perpessi sunt) liberi mei.
Filios tres tantum genui, et hi erant in comitatu meo;
nunquam eos dimisi, ut abirent a latere meo.

Μὰ 'σὰν ἐμεγαλώσανε, ἐβγαίνασι 'ς τὸ πλάτος.
Τὸν πρῶτον τὸν ἐφόνευσεν ὁ κάκιστος ὁ γάτος.
Ηὗρέ τον ἔξω 'πού 'τρεχε (οὐαὶ) καὶ ἔπιασέ τον,
Μ' ἐκεῖνον τάχα ἔπαιζε, ἀλλ' ὕστερα 'φαγέ του.
Τὸν ἄλλον πάλιν ἔπιασαν ἄνδρες ἀγριωτάτοι
Μ' ἐκείνην τὴν ξυλόγατα', 'ποῦ 'νε φοβερωτάτη·
Πολλοὶ τὴν ὀνομάζουσι παγίδα, ὁποῦ φθέρνει
Τοὺς ποντικοὺς μὲ πονηριὰ', κ' εἰς θάνατον τοὺς παίρνει.
Ὁ τρίτος ἦτον ἀκριβὸς ἐμέν τε τῆς μητρός του.
Πολλὰ τὸν ἀγαπούσαμε', γιατ' ἦτον μοναχός του.
Τοῦτον μοῦ τὸν ὑστέρησαν οἱ βορθακοὶ οἱ πλάνοι·
Ἐβάλασίν του μὲ κλεψιὰ' 'ς τὴν λίμνην ν' ἀποθάνῃ.
Καλὰ καὶ μόνος μοῦ 'παθα τούτην τὴν δυστυχία',
Ἀλλὰ κοινὴ εἰς ἅπαντας ἔνε ἡ ἐβρισία.
Ἂν θέλετε, ἐκδίκησις νὰ γένῃ, μὴ ἀργοῦμε',
Ἀλλ' ἂς ἐμποῦμε' 'ς ὀρδινιὰ', καὶ μὴ ἀπαμελοῦμε'.
Καὶ ὅπλα πολυποίκιλα νὰ 'βροῦμε' νὰ 'νδυθοῦμε',
Νὰ μαζωχτοῦμε' ὅλοι μας, νὰ πᾶ' νὰ τοὺς εὑροῦμε'.
Τὰ λόγια τοῦτος ἔπαψε, καὶ κεῖνοι ἀποκριθῆκαν
Ὅλοι μας ν' ἀποθάνωμε', κ' εἰς ὀρδινιὰ' ἐμπῆκαν.
Ἀκούσατέ το, τί λογῆς ἦτανε τ' ἅρματά τους.
Κουκιὰ χλωρὰ ἐσχίσασι, καὶ σκέπασαν τὰ τζιά τους.
Τῶν λύχνων τὰ σκεπάσματα εἴχασι γιὰ σκουτάρια·
Μακραῖς βελόναις σιδηραῖς ἦτανε τὰ κοντάρια·
Χλωρῶν ῥεβίθων εἴχασι φλούδαις εἰς τὰ κεφάλια,
Καὶ τὸ κορμὶ ἁρμάτωσαν ἀπ' ὅλα τ' ἄλλα κάλλια.
Γάτας δερμάτι ηὗρασι, ὁποῦ 'τον ἁπλωμένο',
Καὶ μὲ καλάμια τό 'χασι κάλλιστα τζιτωμένο'.
Λουρίκια μ' αὐτὸ κάμασι, νὰ δείχνουν ἀγριωμένοι.
Τέτοιας λογῆς οἱ ποντικοὶ ἦσαν ἁρματωμένοι.

Sed posteaquam adolevere, egressi sunt in publicum.
Primum interfecit pessima feles.
Nacta est eum extra, ubi currebat (heu) et cepit eum;
cum ipso modo lusit, sed postea devoravit eum.
Alterum rursus ceperunt viri saevissimi,
in muscipula, quae est formidolosissima.
Multi eam nominant decipulam, quae perdit
mures malitiose, et ad mortem eos rapit.
Tertius erat dilectus mihi et matri suae;
multum hunc amavimus, quia erat unicus.
Eo me privarunt ranae deceptrices;
praecipitarunt eum furtim in paludem, ut moreretur.
Quamquam vero solus ego passus sum hoc infortunium,
tamen communis omnibus est injuria.
Si vultis, vindicta ut fiat, ne cessemus,
sed ineamus ordinem (i. e. in acie nos collocemus) nec negligamus.
Arma artificio varia inveniamus, ut induamur,
congregemur cuncti nos, ut vadamus inventum illos.
Verbis hic finem imposuit, et illi responderunt:
cuncti moriamur! et in acie se collocarunt.
Audite, cujus generis fuerint arma eorum.
Fabas virides sciderunt, et texerunt suras suas.
Lucernarum tegumenta habuere pro scutis;
longae acus ferreae erant hastae;
viridium cicerum putamina habuerunt in capitibus,
et corpus armaverunt omnibus reliquis (membris) melius.
Felis pellem invenerunt, quae erat explicata,
eamque calamis pulcherrime extenderunt.
Thoraces ex ea fecerunt, ut se ostenderent efferatos.
Hoc modo mures erant armati.

Οἱ βορϑακοὶ ἐμάϑασι ἐσοῦτα τὰ μαντάτα,
Πῶς ἔρχονται οἱ ποντικοὶ εἰς αὐτοὺς μὲ φρυσάτα.
Χωρὶς ν' ἀργήσουν τίποτες ἐκ τὸ νερὸ' ἐβγῆκαν,
Κ' εἰς ἕνα τόπον παρευϑὺς ὅλοι ἐμαζωχϑῆκαν,
Νὰ μάϑουσι τὴν ἀφορμὴν, γιὰ τί τοὺς ὀργισϑῆκαν.
Ὅλοι τους ἀπορούσασι, εἰς τί τοὺς ἐχϑρευϑῆκαν.
Μαντατοφόρος ἔφϑασεν ὁ Ἐμπασοτζουκάλης,
Τοῦ Τυρογλύφου ὁ υἱὸς, 'ποῦ 'τον ψυχῆς μεγάλης.
Ῥαβδὶ κρατῶντας τορνευτὸ' 'ς τὰ χέρια του τὰ δύο,
'ς τοὺς βορϑακοὺς ἐσύμωσε, κ' ἤλϑε 'ς αὐτοὺς πλησίο'.
Λέγει τους· νὰ ἠξεύρετε ὅλοι σας οἱ βατράχοι·
Οἱ ποντικοὶ ὀργίσϑησαν, καὶ κάμνουνέ σας μάχη'.
Κ' ἐμένα με ἀπέστειλαν, νὰ σᾶς εἰπῶ καϑάρια,
Νὰ 'μπῆτε εἰς τὰ ἅρματα, νὰ πιάσετε κοντάρια,
Γιατὶ ἐμάϑαν κ' εἴδασι ἀδίκως φονευμένον
Ἐκεῖνον τὸν Ψιχάρπαγα εἰς τὸ νερὸ' πνιμένον,
Ὁποῖον τὸν ἐφόνευσε μὲ πονηριὰ', 'σὰν κλέφτης,
Ὁ ἐδικός σας βασιλεὺς, Φυσίγναϑος, ὁ ψεύτης.
Μηδὲν ἀργῆτε τὸ λοιπὸν, νὰ 'μπῆτε 'ς ὀρδινία'.
Δὲν ἔχω ἄλλο νὰ εἰπῶ· κι' ἀφίνω σας ὑγεία'.
Οἱ λόγοι τοῦτοι ἐτάραξαν τῶν βορϑακῶν τὰς φρένας,
Φυσίγναϑον αἰτίαζαν καὶ μέμφετον καϑένας.
Ἀλλὰ ἐκεῖνος ἔλεγε· δὲν εἶμαι 'γὼ αἰτία,
Ὁ Ψιχαρπάκτης νὰ χαϑῇ, οὐδ' ἔμπασα μὲ βία'.
Νὰ κολυμπᾷ ἐβάλϑηκε, καὶ, 'σὰν ἐμᾶς, νὰ πλέγῃ.
Τώρα τὸ πλῆϑος τῶν μυῶν γιὰ τί ἐμένα ψέγει;
Ἐγὼ οὐδὲν τοὺς ἔβλαψα εἰσὲ κανένα πρᾶμα.
Ἀλλὰ ἂς κάμωμε' βουλὴ', νὰ μαζωχϑοῦμ' ἀντάμα,
Νὰ 'βροῦμε' ἅρματα καλὰ, πάντες ν' ἁρματωϑοῦμε',
Κ' ἔξω 'ς τὸ παραπόταμο' ὅλοι μας νὰ 'βρεϑοῦμε'.

Ranae resciverunt haec nova,
venire mures contra se cum copiis.
Sine ulla cunctatione ex aqua exierunt,
et in locum certum confestim omnes convenerunt,
ut cognoscerent causam, cur sibi irascerentur illi.
Cunctae in dubio fuerunt, propter quid sibi inimicarentur.
Caduceator advenit, Embusichytrus,
Tyroglyphi filius, qui erat animo magno.
Virgam tenens tornatam in manu sua utraque,
ranis appropinquavit, et venit ad eas prope.
Dicit eis: Scitote cunctae vos ranae;
mures sunt irati, et faciunt vobis bellum.
Me miserunt, ut vobis dicerem diserte,
ut iretis ad arma, et caperetis lanceas,
quia didicerunt ac viderunt, injuste interemtum
illum Psicharpagem, (nempe) aquis suffocatum,
quem necuit per malitiam, velut fur,
vester rex, Physignathus mendax.
Ne igitur cessate, in acie vos collocare.
Non habeo aliud dicere, et relinquo vobis sanitatem. (h. e. et va-
Verba haec turbarunt ranarum animos, [lere vos jubeo)
Physignathum incusabant, et reprehendebant singulae.
Ille vero ait: Non sum ego in causa,
ut Psicharpax perierit; neque vi introduxi.
Natare ipse aggressus est, ut ita, sicut nos nataret.
Nunc (ergo) multitudo murium quare me vituperat?
Ego non offendi eos in ulla re.
Sed age ineamus consilium, ut congregemur una,
inveniamus arma pulchra, omnes armemur,
foris ad ripam cunctae reperiamur.

Καὶ 'σὰν ἐλθοῦν οἱ ποντικοὶ, μὲ μᾶς νὰ πολεμήσουν,
Τοὺς θέλομε' ἀντισταθῆ, καλὰ νὰ μᾶς γνωρίσουν,
Κι' ὀλπίζω, νὰ τοὺς κάμωμε' 'ς τὴν λίμνην νὰ ἐμποῦσι,
Καὶ μέσα οἱ παγκάκιστοι ὅλοι τους νὰ πνιγοῦσι·
Τότε νὰ ἐορτάσωμεν ἐδῶ μὲ εὐφροσύνη'
Τῶν ποντικῶν τὴν ἀπωλειὰ' καὶ νά 'χωμε' εἰρήνη'.
Λοιπὸν ἐτοῦτος ἔπαψε, καὶ ὅλοι τὸν ἀκοῦσι,
Ν' ἁρματωθοῦν ἐβάλθησαν 'κ τὰ βότανα, 'ποῦ ζοῦσι.
Λαπάθων φύλλα ηὗρασι, κ' ἔνδυσαν τὰ ποδάρια,
Καὶ τῶν κοχλιῶν τὰ ὄστρακα ἔβαλαν 'ς τὰ κεφάλια,
Καὶ ἀπὸ σέσκλα τρυφερὰ ἐκάμιασι λουρίκια,
Κι' ἀπὸ τὰ νεροσέλινα ἔβαλαν γιὰ μανίκια.
Κραμβόφυλλα ἐσχίσασι, καὶ κάμιασι σκουτάρια,
Καὶ βοῦρλα τὰ ἀγγελωτὰ εἴχασι γιὰ κοντάρια.
'Ωσὰν ἁρματωθήκασι, ἐστάθησαν σὲ τόπον,
Καὶ τὰ κοντάρια ἔσειον δίχως κανέναν κόπον.
Θυμοῦ ἐπλήσθη ἕκαστος καὶ δύναμι' ἡ καρδιά τους·
'Αναίβαιναν, καταίβαιναν καὶ δεῖχναν τὴν ἀνδρειά' τους.
Ταῦτα ὁ Δίας ἔβλεπε, κ' εἶχε χαρὰ' μεγάλη'·
'ς τὸν οὐρανὸν ἐκάθετον, καὶ τοὺς θεοὺς ἐκάλει.
Βλέπετε (λέγει τους) καλὰ τὸ πλῆθος τῶν ἁρμάτων.
Σημερον μέλλει νὰ γένῃ χύσις πολλῶν αἱμάτων,
Γιατὶ θωρῶ τοὺς βορθακοὺς, κ' εἶναι ἀγριωμένοι,
Ὥσπερ τοὺς γίγαντες ἠχοῦν, ὁποῦ 'σαν θηριωμένοι.
'Εκ τ' ἄλλο μέρος θεωρῶ τῶν ποντικῶν τὰ πλήθη,
Πῶς ἔρχονται ἀπάνου τους μετ' ἅρματα 'ς τὰ στήθη,
Θυμοῦ γεμάτοι καὶ ὀργῆς, 'σὰν τ' ἄγρια τὰ ταυρία,
Ἢ ἄλλα δυνατώτερα καὶ ἰσχυρὰ θηρία.
Ὅμως ἐρωτῶ σας, ὦ θεοὶ, καὶ 'πέτε τὴν ἀλήθειά,
Τίνων καὶ τίνες θέλετε, νὰ γένετε βοήθεια;

Et quando venerint mures, nobiscum belligeratum,
eis resistemus, ut bene nos cognitas habeant.
Ac spero, nos facturas, ut paludem ingrediantur,
et inibi, pessimi omnium, cuncti suffocentur;
tunc festo celebrabimus hic cum laetitia
murium interitum, et habebimus pacem.
Exinde hic desiit (fari), cunctaeque ei auscultarunt,
se armare coeperunt herbis, quibus victitant.
Rumicis folia invenerunt, et induerunt pedes,
cochlearum testas posuerunt in capitibus,
ex betis teneris fecere thoraces,
et de aquatico apio posuerunt (partes quasdam) pro manicis.
Brassicarum folia secuerunt, et fecere scuta,
ac juncos acutos habuerunt pro hastis.
Postquam se armarunt, steterunt in (suo) loco,
hastas vibrabant sine ullo negotio.
Ira repleta est unaquaeque et robore cor earum;
ascendebant, descendebant et fortitudinem suam ostendebant.
Haec Iuppiter cernebat et habebat magnum gaudium;
in coelo sedebat et deos advocabat.
Videte (inquit eis) bene multitudinem armorum.
Hodie fiet profusio multi sanguinis,
quia video ranas, et sunt exacerbatae,
instar gigantum vociferantur, qui erant efferati.
Ex altera parte cerno murium copias
quomodo veniant adversus illas cum armis circum pectora
irae et furoris pleni, sicut feri tauri,
aut aliae validiores et robustae belluae.
Attamen quaero ex vobis, dii, et dicite verum:
Quibus et qui velitis fieri adjutores?

'Αλλὰ ἐσὺ, ὦ 'Αθηνᾶ, καλή μου θυγατέρα,
Πιστεύω, κ' εἶμαι θαῤῥετὸς, ἐτούτην τὴν ἡμέρα',
Νὰ βοηθήσῃς τῶν μυῶν, γιατὶ εἰς τὸν ναόν σου
Χορεύουν ὅλοι καὶ σκιρτοῦν, θωρῶντες τὸν βωμόν σου,
'Οποῦ 'ν' γεμάτος θυσιῶν, καὶ τέρπονται τῇ κνίσσῃ,
Καὶ τὸ βράδυ μαζόνονται, καθένας νὰ δειπνήσῃ.
'Εκείνη ἀποκρίθηκε· ὦ πάτερ ἀκριβέ μου,
Τῶν ποντικῶν βοήθεια δὲν γίνομαι ποτέ μου.
Πολλὰ κακὰ οἱ κάκιστοι ποιοῦσιν εἰς τὰ δῶρα,
'Ποῦ φέρνουσιν οἱ ἄνθρωποι εἰς τὸν ναὸν καθ' ὥρα',
Καὶ γιὰ τὸ λάδι κόπτουσι καὶ φθέρνουν ταῖς καντίλαις
Κι' ἀπάνου εἰς ταῖς τράπεζαις τρώγουσι ταῖς μαντίλαις.
Καὶ ὅσα ἄλλα 'βρίσκουσι, ὅλα τὰ πᾶνε ἴσα·
Τοῦτο, 'ποῦ θέλω νὰ εἰπῶ, μὲ λύπησε περίσσα.
'Εκόπιασα καὶ ἔκλωσα κατάψιλο' στημόνι,
Καὶ ὕφανα καὶ ἔῤῥαψα ἐγὼ ἀτή μου μόνη,
Καὶ φόρεμα ἐποίησα κατάλευκο' φουστάνι·
Αὐτὸ 'ς ἐκεῖνο ἔκαμαν, ἐκεῖν', ὃ τοὺς ἐφάνη.
Ὅλο' τὸ ἐκατάφαγαν, καὶ τρύπαις τοῦ ἐκάμα',
'ς ἐκεῖνο δὲν ἀπέμεινε ὕγιο' κανένα ῥάμμα.
'ς ἐκεῖνα ὅλα τὰ κακὰ ἔνε καὶ τοῦτ' ὁμάδι,
Δὲν εἶχα καὶ δανείστηκα ἀπ' ἄλλην τὸ ὑφάδι,
Καὶ κείνη, 'ποῦ τὸ δάνεισε, θέλει νὰ τῆς τὸ δώσω,
Ζητᾷ μου καὶ περσότερο', ζοῦρα' νὰ τῆς πλερώσω.
Γιὰ τοῦτο τοὺς ἐκάκισα καὶ ἔχω τοὺς ἐχθρία,
Καὶ τώρα δὲν τοὺς βοηθῶ 'ς τὴν ἐδική' τους χρεία'.
Καλὰ καὶ τοὺς ὀργίστηκα, τοὺς ποντικούς, ὦ Δία·
Οὐδὲ βορθάκων γίνομαι βοήθεια καμμία.
Εἶναι καὶ κεῖνοι ἄγνωστοι (τίς νὰ τοὺς βοηθήσῃ;)
Εἶναι καὶ μεγαλύφωνοι καὶ ὀχληροὶ τῇ φύσει.

At tu, Minerva, praeclara mea filia,
Credo, et sum confidens, hodierno die,
te opitulaturam esse muribus; nam in templo tuo
tripudiant omnes et saltant, aspicientes aram tuam,
quae est plena victimarum, ac delectantur nidore,
et vesperi congregantur, singuli ut coenent.
Respondit illa: O pater mi carissime
Muribus adjutrix non fio unquam.
Multa mala isti pessimi inferunt donis,
quae afferunt homines in templum singulis horis,
Et propter oleum caedunt, et corrumpunt lucernas olearias,
ac super mensis rodunt mantilia.
Quaecunque (denique) alia reperiunt, ea omnia invadunt eodem
(Unum) hoc, quod dictura sum, me offendit plurimum. [modo.
Laboravi, et nevi subtilissimum stamen,
texui, et sui ego ipsa sola,
vestem feci, candidissimam pallam;
In ea vero fecerunt, quod eis placuit.
Totam corroserunt, et foramina in ea fecerunt,
in ipsa non remansit integrum vel unum filum.
In illis omnibus malis et hoc simul est:
non habui, sed mutuam sumpsi ab alia texendi materiam,
et (nunc) illa, quae hanc mutuam dedit, vult sibi restitui;
postulat me praeterea usuram persolvere.
Propterea ipsos vitupero et inimicitiam adversus eos gero,
ac nunc non auxilior eis in sua necessitate.
Sed licet his irata sim, muribus dico, o Iuppiter,
tamen nec ranis ero auxilio ulli.
Sunt et illae dementes (quis eis opitulctur?),
sunt et clamosae et molestae natura.

'Αδύνατ' εἶναι, τό 'καμαν 'ς ἐμὲ νὰ λησμονήσω.
Μιὰ' νύκτα δὲν μὲ ἄφησαν, τὰ 'μιάτια μου νὰ κλείσω.
'Εκ πόλεμου ἐρχούμουνα, καὶ ἤμουν κοπιασμένη,
Καὶ ὕπνου ἐδεήθηκα· κι' αὐτοὶ οἱ ὀργισμένοι
'Οληνυκτῆς ἐφώναζαν, καὶ ταραχὴν ἐκάναν,
Καὶ ἔξυπνη ἐκείτουμουν, 'ς ἀδημιονιὰ' μ' ἐβάναν.
Τὴν νύκτα ὅλην ἤμουνα εἰς ἀγρυπνιὰ' μεγάλη'·
Τὰ μέλη ὅλα ἔπασχον, καὶ πόνουν τὸ κεφάλι.
'Αλλ' ὦ θεοί, ἂς παύσωμιε', τούτους νὰ βοηθοῦμιε',
Γιατὶ, θωρῶ, ἐσμίξασι, μήπως καὶ λαβωθοῦμιε'.
"Ολοι μιας ἐκ τὸν οὐρανὸν ἂς βλέπωμιε' τὴν μάχη',
Καὶ πᾶσα ἕνας ἀπὸ μᾶς χαρὰν μεγάλη' νά 'χη.
Λοιπὸν ἐκείνη ἔπαυσε, καὶ οἱ θεοὶ ἀκοῦσαν
Τοὺς λόγους της καὶ πήγασι σὲ τόπον καὶ θωροῦσαν.
Τότε ὁ Ζεὺς ἐβρόντησε, κώνωπες ἐσαλπίσαν,
Κ' οἱ ποντικοὶ κ' οἱ βορθακοὶ πόλεμιον ἐκτυπῆσαν.
'Ο 'Τψιβόας ἤτονε γεμάτος τὴν ἀνδρεία',
Καὶ πρῶτος τοῦ Λειχήνορα ἔδωσε κονταρία'.
Εἰς τὰ συκωτοπλέμονια, κ' ἔπεσε ξαπλωμένος·
"Ολος ἐκορνιακτίστηκε, κ' ἔμειν' ἀποθαμμένος.
'Ο Τρωγλοδύτης ἔπειτα ἔμπηξε τὸ κοντάρι,
'ς τὸ στῆθος τοῦ Πηλείωνος, ὁποῦ 'τον παλληκάρι·
Γλίγωρα ἐξεψύχησε, κι' ἀπέθανεν ὁ νέος,
Κι' ὁ σκοτεινὸς ὁ θάνατος τὸν ἔλαβεν εὐθέως.
Σευτλαῖος ἐφονεύθηκε, 'ποῦ 'τον τιμῆς μεγάλης·
Τοῦτον τὸν ἐκοντάρεψε ὁ 'Εμπασοτζουκάλης.
'Ο 'Ωκιμίδης, βλέποντα θαμμένον τὸν Σευτλαῖον,
Πολλὰ τὸν ἐλυπήθηκε, δὲν ἐκαρτέρει πλέον,
'Οξύβουρλο' ἐζήτησε, καὶ κονταριὰ' μεγάλη'
'Εκτύπησε, καὶ φόνευσε τὸν 'Εμπασοτζουκάλη'.

Fieri nequit, ut, quod fecerunt in me, obliviscar.
Quadam nocte me non siverunt oculos meos claudere.
E bello veniebam atque eram defessa,
somno indigebam; sed istae exsecratae
totam noctem coaxabant, et strepitum faciebant.
Itaque insomnis jacebam, in molestia me ponebant (i. e. mole-
Noctem totam eram in vigilia magna. [stiam mihi afferebant)
Omnia mihi membra laborabant, dolebam capite.
Sed, o dii, abstineamus ab ope istis ferenda,
quia, (quantum) video, acies admodum inter se propinquae sunt,
Cuncti nos de coelo agite despiciamus proelium, [ne forte etiam
unusquisque nostrum voluptatem magnam habeat. [vulneremur.
Exinde illa desiit (fari), ac Dii audiverunt
verba ejus, abierunt ad locum, et spectarunt.
Tunc Iuppiter intonuit, culices tuba cecinerunt;
mures et ranae proelio conflixerunt.
Hypsiboas erat plenus fortitudine,
et primus Lichenori dedit ictum hasta,
in jecur. Cecidit ille extensus;
totus pulvere conspersus est, et remansit mortuus.
Troglodyta deinde infixit lanceam
in pectus Pelionis, qui erat robustus juvenis.
Celeriter exanimatus, et mortuus est juvenis,
tenebricosa mors ipsum cepit confestim.
Seutlaeus caesus est, qui erat honoris magni;
hunc jaculo icit Embasichytrus.
Ocimides, videns mortuum Seutlaeum,
magnopere ipsius casum doluit, non exspectavit amplius;
juncum acutum quaesivit, ictum hasta magnum
inflixit, et interfecit Embasichytrum.

Ὁ Ψωμοφάγος ἔφθασε μὲ τ' ἄγριόν του ἦθος,
Καὶ 'μπῆκε χωρὶς τήρησι' 'ς τῶν βορβορακῶν τὸ πλῆθος·
Πολύφωνον ἐπίτυχε μέσα εἰς τὴν κοιλίαν.
'Ομπρός του ἐξαπλώθηκε, κ' ἔχασε τὴν λαλίαν.
'Σὰν εἶδεν ὁ Λιμνόχαρις 'ς τὴν γῆν ἐξαπλωμένον
Ἐκεῖνον τὸν Πολύφωνον, καὶ καταφονευμένον,
Τὸν Τρωγλοδύτην ἔφθασεν, ὁποῦ 'τονε μακρέα·
'Οπίσω εἰς τὸν τράχηλον τοῦ δῶσε κονταρέα'·
Καὶ πάλι ἐμετάδραμε, τὸν Κοστοφάγον σόνει,
'ς τ' ἅρματα τὸν ἐκτύπησε καὶ δὲν τονὲ λαβόνει.
Γυρίζει ὁ Κοστόφαγος μὲ τὸ ὀξὺ κοντάρι,
Ἔδωσε καὶ ξεκοίλιασε αὐτὸν τὸν Λιμνοχάρι'.
Τὰ ἔντερά του ἔπεσαν, καὶ χάμου ἐξαπλώθη,
Ἡ λίμνη ἐκοκκίνισε, καὶ ὅλη αἱματώθη.
Καὶ τότε ὁ Τυρόφαγος 'ς τὴν λίμνην ἐκοιμήθη
Τὸν ὕπνον τὸν ἀνήγρετον καὶ δὲν ἐβοηθήθη,
Γιατὶ ὁ Καλαμίνθιος τὸν ἔστειλε 'ς τὸν ᾅδη',
Πάντοτ' ἐκεῖ νὰ κείτεται μὲ τοὺς λοιποὺς ὁμάδι.
Πάλιν ὁ Καλαμίνθιος τὸν Πτερνογλύφου βλέπει,
Μὰ δὲν τὸν ἐκαρτέρεσε, ν' ἀντισταθῇ, ὡς πρέπει,
'Αλλὰ ἀπὸ τὸν φόβον του ἔφυγε ἐκ τὴν ῥίμνην,
Καὶ τὸ σκουτάρι ἔῤῥηξε κι' ἀπήδησε 'ς τὴν λίμνην.
Φιτραῖον 'Εμβασίχυτρος ὁ ἔνδοξος σκοτόνει.
Ἄπλωσε, καὶ ἐπίασε, καὶ πέτρα' ἀσηκόνει,
Καὶ τότε τὴν ἀπόλυσε μὲ δύναμιν μεγάλη'.
Εἰς τ' ἀπαλὸ' τὸν ηὗρηκε ἀπάνου 'ς τὸ κεφάλι.
Εὐθὺς ἐκ τὰ ῥουθούνια του ἔῤῥευσαν τὰ μυαλά του
Κ' ἡ γῆ ἐπορφυρώθηκε ἀπὸ τὰ αἵματά του.
Τότε ὁ Βορβορόκοιτος ἀπὸ μακρὰ ἐχύθη,
Καὶ τὸ κοντάρι ἔμπηξε ἔμπροσθεν εἰς τὰ στήθη

Artophagus accurrit fero suo modo,
invasit absque cautione in ranarum turbam,
Polyphonum tetigit in ventre.
Ante ipsum hic extentus jacuit, et amisit loquelam.
Ut vidit Limnocharis humi fusum
illum Polyphonum et trucidatum,
Troglodytam assecutus est, qui aberat longe;
retro in collum ei dedit ictum lancea,
atque, iterum retrorsum, cucurrit, Costophagum invadit,
arma ejus percussit, sed non vulneravit ipsum.
Convertit se Costophagus acuta cum hasta,
percussit, et viscera effudit ipsius Limnocharis.
Interanea ejus exciderunt, et humi extensus est,
lacus rubuit, et totus est cruentatus.
Tunc quoque Tyrophagus in stagno dormivit,
somno (sane) inexcitabili, neque (cujusquam) auxilio adjutus est,
nam Calaminthius eum orco demisit,
semper ut illic jaceret cum reliquis una.
Rursum Calaminthius Pternoglyphum conspicit,
verum non exspectavit eum, ut resisteret, sicut decet,
sed prae metu fugit e terra,
scutum abjecit, et in lacum desiluit.
Phitraeum Embasichytrus illustris occidit.
(Nam) extendit manum, prehendit lapidem, et sustulit,
eumque tunc jecit vi magna.
In molli parte (vertice) illum percussit supra caput.
Statim e naribus fluxit cerebrum ipsius
et terra rubefacta fuit sanguine ejus.
Tunc Borborocoetes e longinquo accurrit,
hastam infixit ab anteriore parte in pectus

Τοῦ Λειχοπίνακος, κ' εὐθὺς ὅλος ἀπενεκρώθη,
Σκότος πολὺ τὸν ἔλαβε, 'ς τὴν ὥρα' ἐτυφλώθη.
Πρασαῖος ταῦτα ἔβλεπε, τρέχει, καὶ τονὲ πιάνει,
'Απὸ τὸ πόδι τὸν τραυᾷ, 'ς τὴν λίμνην τονὲ βάνει,
Κρατεῖ τον ἐκ τὸν τράχηλον, δὲν ἠμπορεῖ νὰ φύγῃ
Θάνατον τὸν πικρότατον, ἀλλὰ ἐκεῖ ἐπνίγη.
'Ο Ψιχαρπάκτης ἔδραμε, ὀγλίγωρα νὰ σώσῃ,
Τῆς ἐδικῆς του συντροφιᾶς βοήθεια' νὰ δώσῃ.
Καλὰ 'ς τὴν γῆν δὲν ἤτονε σωσμένος ὁ Πρασαῖος,
"Οπου τὸν ἐκοντάρεψε Ψιχάρπαγὰς ὁ νέος.
'Ομπρός του ἐξαπλώθηκε, ἔπεσε καὶ φονεύθη,
Καὶ ἡ ψυχή του σύντομα 'ς τὸν ᾅδην ἐπορεύθη.
'Ο Κραμβοβάτης ἔφθασε, τινὰς δὲν τὸν 'μποδίζει,
Παίρνει πηλὸν ἀπὸ τὴν γῆν, τὸν γρόθον του γεμίζει,
Καὶ ῥήχνει κατὰ πρόσωπα, τάχα, γιὰ νὰ τυφλώσῃ
Τὸν Ψιχαρπάκτην τὸν καλὸν, καὶ νὰ τὸν θανατώσῃ.
'Αλλὰ ἐκεῖνος ἔσκυψε, καὶ μὲ ὀργὴν ἁπλόνει,
Καὶ λίθον ἰσχυρότατον ἀπὸ τὴν γῆν σηκόνει.
Τὸν Κραμβοβάτην ἔδωκε μὲ κεῖνον 'ς τὰ ποδάρια,
Τὰ κόκκαλά του ἔτριψε· κι' ἀπάνου 'ς τὰ χορτάρια
'Ανάσκελα ἁπλώθηκε, ἐκεῖ νὰ ξεψυχήσῃ.
'Ο Κραυγασίδης ἔδραμε, γιὰ νὰ τοῦ βοηθήσῃ,
Τὸν Ψιχαρπάκτην ἔσωσε, καὶ κάνει 'σὰν λειοντάρι,
'Απάνου του ἀπόλυσε τὸ βούρλινο' κοντάρι.
Εἰς τὴν κοιλιὰ' τὸν ἔδωσε, καὶ ἅπαντα ἐβγῆκαν
Τὰ σκώτια του καὶ ἔντερα ὁμπρός του ἐχυθῆκαν.
'Ο Τρωγλοδύτης ἔβλεπε ταῦτα, καὶ ἐφοβήθη,
Κ' ἔφυγε ἐκ τὸν πόλεμον, 'ς τὸν τρύφου ἐκρυβήθη.
Σὲ κίνδυνον δὲν ἤθελε νὰ βάλῃ τὸ κορμί του,
'Αλλὰ 'ντροπὴ' ἠθέλησε νά 'χῃ εἰς τὴν ζωή' του.

Lichopinacis, qui statim totus est mortuus,
tenebrae magnae ipsum obruerunt, eaque hora occaecatus est.
Prasaeus haec videbat, currit et illum comprehendit,
pede eum trahit, et in stagnum abjicit.
Tenet eum cervice, non potest effugere
mortem acerbissimam, sed illic suffocatus est.
Psicharpax cucurrit, velociter ut subveniret,
suis familiaribus auxilium ut daret (ferret).
Vix in terram redierat Prasaeus,
cum eum hasta percussit Psicharpax juvenis.
Coram ipso extensus est, cecidit, occisus est
et anima ejus brevi in Orcum profecta est.
Crambobates accucurrit, nemo eum impedit,
sumit lutum humo, pugnum suum implet,
et jacit in faciem, nimirum, ut excaecaret
bonum Psicharpagem, et eum necaret.
Ille vero se inclinavit, et cum ira manum extendit,
lapidemque fortissimum humo tollit.
Crambobaten eo percussit in pedibus,
ossa ejus contrivit. (Tunc ille) super herbam
cruribus sursum porrectis extensus jacuit, ibi ut animam efflaret.
Craugasides accucurrit, ut ei opitularetur,
Psicharpagem invasit, agit ut leo,
in eum contorsit junceam hastam.
Ventri (vulnus) dedit, (unde) omne exiit
jecur ejus, et intestina ante ipsum effusa sunt.
Troglodytes videbat haec, ac metuit,
et fugit e proelio, in fossamque se abscondit.
Periculo noluit committere corpus suum,
sed dedecus voluit habere per vitam suam.

Τότ' ἕνας ἐκ τοὺς ποντικοὺς ξεχωριστὸς ἀπ' ὅλους
Ἐπῆγεν εἰς τὸ σπίτι του, καὶ ἄφησέ τους ὅλους.
Καὶ τὸν υἱόν του ἔκραξε, νά 'λθῃ νὰ πολεμήσῃ,
Κ' εἰς τοὺς ἐχθροὺς προτέρημια νὰ δείξῃ καὶ νὰ ποίσῃ.
Εὐθὺς ὁ Μεριδάρπαγας ἔφθασε 'ς τὸ ποτάμι,
Τῶν βορθακάδων, ἔλεγε, πολὺ κακὸ' νὰ κάμῃ·
Μέσα 'ς τὴν μέσην ἔσχισε καρύδι, καὶ σκεπάζει
Τὴν ῥάχιν καὶ τοὺς νώμιους του, καὶ τὸ κοντάρι ἁρπάζει,
Κ' εἰς τοὺς βορθάκους ἔδραμε καὶ κεῖνοι ἐσκιαχτῆκαν,
'ς τὴν λίμνην ὅλοι 'γλίγωρα ἔδραμιαν καὶ κρυφτῆκαν.
'Αδὲν ἐπρόβλεπεν ὁ Ζεὺς, ἐκείνους νά 'λείσῃ,
Ὅλους ἐκεῖνος μοναχὸς τοὺς ἤθελε νικήσει.
Τὴν κεφαλὴν ἐκίνησεν ὁ Ζεὺς καὶ οὕτως κράζει·
Φεῦ, φεῦ, τί βλέπουν σήμερον τὰ 'μιάτια μου; φωνάζει·
Περίσσα μὲ ἐλύπησε ὁ Μεριδάρπαξ τοῦτος,
Τοὺς βορθακοὺς τοὺς ἄθλιους, νὰ τοὺς φονεύει οὕτως.
'Αλλὰ ἂς πέμψω 'Αθηνᾶν, ἢ τὸν ἀνδρεῖον Ἄρη,
Αὐτοῦ τοῦ Μεριδάρπαγα νὰ πάρῃ τὸ κοντάρι.
Οὕτως ὁ Δίας ἔλεγεν, ὁ Ἄρης τ' ἀποκρίθη·
Ἄϊ Ζεῦ Κρονίδη, ἤξευρε, τῶν βορθακῶν τῷ πλήθει
Δὲν δύνεται ἡ 'Αθηνᾶ, οὔτε ἐγὼ ὁ Ἄρης
Βοήθειαὶ νὰ δώσωμιεν, ἂν ὅλους δὲν μᾶς πάρῃς.
Ἢ καὶ, ἂν θέλῃς, σύντομα ἡ πίκρα σου νὰ παύσῃ,
Τὸν κεραυνόν σου ὅρισε, νὰ πᾷ, νὰ κατακαύσῃ
Ἐκεῖνον τὸν ὠμότατον βορθάκων τὸν φονέα,
Καθὼς ἐπῆγες κ' ἔκαυσές ποτε τὸν Σαλμονέα.
Ὁ κεραυνός σου ἔφθειρε, ὡσὰν τὸ 'ξεύρουν πάντες,
Καὶ ἄλλους ἐμπροτήτερα, καὶ τοὺς ἀγριους γιγάντες.
Ὁ Ἄρης ἐσιώπησε, καὶ ὁ Κρονίδης στέλλει
Μὲ μάνιτα' καὶ μὲ θυμὸν τὸ καυστικόν του βέλι.

Πρῶτα

Tunc quidam de muribus, seorsum ab omnibus
abiit domum suam, et reliquit illos omnes.
Et filium suum vocavit, ut veniret ad pugnandum,
atque in hostes facinus praeclarum ut monstraret et faceret.
Statim Meridarpax pervenit ad flumen,
ranis, (sicut) dicebat, ut multum mali inferret;
mediam scidit nucem, et tegit
tergum humerosque suos, et lanceam arripit.
Ad ranas cucurrit, illaeque exterritae sunt,
in paludem cunctae celeriter cucurrere ac sese abdidere.
Nisi providisset Iuppiter, illarum ut misereretur,
cunctas ille solus vicisset.
Caput quassavit Iuppiter, et sic clamat:
Heu, heu, quid cernunt hodie oculi mei? vociferatur;
nimium quantum me offendit Meridarpax iste,
ranas miseras quod trucidat sic.
Sed age mittam Minervam, aut fortem Martem,
ipsi Meridarpagi ut eripiat lanceam.
Sic dixit Iuppiter. Mars vero ei respondit:
O Iuppiter Saturnie, scito: Ranarum catervae
non potest Minerva, nec ego Mars
auxilium ferre, nisi cunctos nos sumseris.
Aut etiam, si vis, mox dolor tuus ut cesset,
fulmini tuo impera, ut eat combustum
illum crudelissimum ranarum interfectorem,
sicut ivisti, et combussisti aliquando Salmoneum.
Fulmen tuum perdidit, sicut hoc sciunt omnes,
cum alios antea, tum feros illos Gigantes.
Tacuit Mars, tum Saturnius mittit
furore et ira (accensus) urens suum telum.

Πρῶτα ἐβρόντησε κ' εὐθὺς τὸν οὐρανὸν ταράσσει,
Ἔπειτα καὶ ὁ κεραυνὸς τὴν γῆν ἀνατρομάσσει.
Ἀλλ' οὐδὲ οὕτως ἄφιναν οἱ ποντικοὶ τὴν νίκη',
Μᾶλλον, ὡσὰν σκορπίζουσι τὰ πρόβατα οἱ λύκοι,
Ἔτσι αὐτοὶ ἐσκόρπιζαν τοὺς μαχικοὺς βατράχους.
Πολλοὶ ἐπέφταν 'ς τὸ νερὸ', καὶ κρύβονταν 'ς τοὺς τράφους.
Ὅλους σχεδὸν τοὺς ἔσφαζαν, ἐὰν ὁ Δίας πάλι
Δύναμιν δὲν τοὺς ἔστελνε, οὐδὲ βοήθειαν ἄλλη'.
Γένος ἐξαίφνης ἔπεμψε, μ' ἀλαζονειὰ' μεγάλη'.
Ὀπίσω εἰς ταῖς πλάταις τους εἶχασι τὸ κεφάλι.
Εἶχασι καὶ τὰ 'μμάτια τους 'ς τὰ στήθη, 'που θωροῦσαν,
Ὀκτὼ ποδάρια εἶχανε, στραβὰ ἐπερπατοῦσαν.
Ἦσαν καὶ ψαλιδόστομοι, σκληρὸν τὸ σῶμα εἶχαν,
Γιατ' ἦσαν ὁλοκόκκαλοι, σάρκες ποσῶς δὲν εἶχαν.
Εἶχαν τὴν ῥάχιν στρογγυλὴν οἱ καθαροὶ 'ς ταῖς πλάταις.
Τὰ 'νύχια εἶχαν 'ξύμητα, 'σὰν τά 'χουσιν ἡ γάταις.
Ἦσανε καὶ δικέφαλοι, ἦσαν καὶ χωρὶς χέρια,
Τὰ στόματά τους ἔκοπταν, 'σὰν κόπτουν τὰ μαχαίρια.
Οἱ νῶμοί τους ἐλάμπασι, ὡσὰν σιδερωμένοι,
Ἀπὸ μακρὰ ἐφαίνονταν, 'πως εἶν' ἁρματωμένοι.
Τέτοιας λογῆς παράξενοι ἐφάνησαν ἐκεῖνοι,
Ὁποῖοι ὀνομάζονται καὶ λέγονται καρκῖνοι.
Τῶν ποντικῶν ἐκκόπτουσι οὐραῖς καὶ τὰ ποδάρια,
Ἔκοπταν καὶ τὰ χέρια τους καὶ πέφταν τὰ κοντάρια.
Φόβον πολὺν οἱ ποντικοὶ ἐλάβασι καὶ φύγαν,
Καὶ πλέον δὲν ἀνήμεναν, μὰ σκόρπισαν καὶ πῆγαν.
Καὶ τότε καὶ ὁ ἥλιος ἔδυσε καὶ κρυβήθη,
Κ' εἰς μιὰν ἡμέραν ἔπαυσεν ὁ πόλεμος κ' ἐλύθη.

Primum tonuit, atque illico coelum movet,
Deinde et fulmen terram tremefacit.
Sed ne sic quidem destiterunt mures a victoria,
sed potius, ut dispellunt oves lupi,
sic ipsi dissipaverunt bellicosas ranas.
Multae ceciderunt in aquam, et se in fossas abdidere.
Omnes fere illas jugulassent, nisi rursus Iuppiter
opem ipsis misisset et subsidium novum.
Genus quoddam repente submisit, magno cum fastu (incedens).
Retro in humeris suis habebant caput.
Habebant oculos suos in pectoribus, quibus cernebant,
octonos pedes habebant, oblique incedebant.
Erant et forficulis in ore instructi, dura corpora habebant,
quum toti essent ossei, ac minime carnes haberent.
Habebant dorsum rotundum splendentes in humeris.
Ungues gerebant acutos, sicut gerunt feles.
Erant et bicipites, ac sine manibus erant,
ora illorum scindebant, sicut scindunt gladii.
Humeri eorum splendebant, tanquam ferrati,
eminus apparebant, quasi essent armati.
Hunc ad modum monstruosi apparuerunt illi,
qui nominantur et dicuntur cancri.
Muribus hi amputant caudas et pedes,
amputabant et manus eorum, unde excidebant hastae.
Metum magnum concepere mures, et fugerunt,
amplius non manebant, sed dissipati abibant.
Tunc etiam Sol occidit et abditus est,
atque uno die bellum desiit et diremtum est.

Digitized by Google

COMMENTARII.

Digitized by Google

Commentarius in Dialogum.

V. 1. *νά 'χεις* pro *νὰ ἔχεις*. Solent Graeci recentiores non solum particulas et pronomina quaedam, sicut veteres, sed etiam verba ita inclinatione antecedenti voci annectere, ut e duabus vocibus, licet sensu diversis ac sejunctis, pronunciatione tamen una exsistat. Quo fit, ut imperiti librarii saepenumero duo vocabula inclinatione connexa conjunctim exaraverint. Itaque et hoc loco indocte a librariis, quos priores editores secuti sunt, scriptum est *νάχεις*, et versu 11. hujus dialogi *πάτω* pro *'πά το*, porro versu 12. *τόβαλε* pro *τό 'βαλε*, et in ipsa Batrachomyomachiae paraphrasi multa hujus generis exempla exstant, quae in criticis adnotationibus perscripsimus. Imprimis autem mentione digna est licentia poetarum inde a Ptochoprodromo usque ad nostram fere aetatem, qua illi in carminibus vulgari sermone compositis verba monosyllaba, vel dissyllaba sive integra sunt, sive aphaeresi breviata, prout versus postulat, in vocem praegressam inclinant. Ab hac licentia vulgus etiam in loquendo non plane alienum est, quamquam non admodum multa sunt verba, quae hodie ita usurpat, velut *'δωκες* pro *ἔδωκες* v. c. *μοῦ τό 'δωκες mihi hoc dedisti*. Ex Ptochoprodromo rei firmandae causa haec juvat exempla allegare. Lib. I. v. 63. legitur *αὐτὸς μι-*

κρὸς οὐδέν ἰδεν τοῦ λουτροῦ τὸ κατώφλιν. lib. II. v. 454. πάτερ, πετζὶν οὐδέν ἐχω, νἀνήβω νἀγοράσω, ubi Coraes perspicuitati studendo scribere debebat ν' ἀνήβω, ν' ἀγοράσω. Ibid. v. 457. ἀς εὔγω, ἀς ἴδω τί διδουν, καὶ τώρα γιά που φθάνω, in quo versu prius hemistichium magis perspicuum erit sic scriptum ἂς ἔβγω, ἂς ἴδω τί διδουν. Neque Zeni Paraphrasis Batrachomyomachiae hujusmodi exemplis caret, ut v. 16. καὶ τὸ πηγούνι τό 'βρεξε μὲ ὄρεξιν μεγάλη', vers. 114. ἂν θέλης, νά 'λθης i. e. νὰ ἔλθης, vers. 92. νά 'βρω i. e. νὰ εὕρω, quibus, si opus esset, similia addere possem. Ex hac verborum inclinatione, ut ex multis aliis rebus emergit, veteris linguae analogiam arctis olim finibus circumscriptam, utpote quae hic non nisi in verbis εἰμὶ et φημὶ consistit, in recentiore hac interdum latissime patere.

νὰ vocula multiplicis significatus. Orta est ex ἵνα veterum, atque hujus potestatem habet hoc versu in verbis νὰ μοῦ πουλήσης, *ut* mihi vendas. Porro demonstrativa vis ei tribuitur, ut, quum dicunt νά το *en tibi hoc.* Vid. Coraem ad Ptochoprodr. pag. 103., qui hac significatione istam particulam ab antiquo ἠνὶ, unde et Latinorum *en* fluxerit, deducere conatur. Frequens praeterea ejus usus in interrogationibus est, ita tamen, ut non tam ipsa interrogativae particulae vice fungatur, quam praegressa particula interrogativa sententiae aliquid ambiguitatis addat v. c. δὲν ἠξεύρω, πόθεν νὰ λάβω τὴν βίβλον ταύτην *nescio, unde hunc librum nancisci queam.* Sic dicitur πῶς νὰ ἔχης vers. 56. Paraphr. Bat. et δὲν εἶχε τί νὰ ποίσῃ vers. 129. Cf. Rusiad. Gr. Tom. II. p. 203., a quo tamen paululum dissentio. Longe alia hujus vocula vis est, qua pro ἂν δυνητικῷ veterum olim ponebatur, quae quidem res videtur Hermanni conjecturam in diss. de part. ἄν lib. I. cap. 1. Opusc. IV. pag. 4. propositam, ἂν ex ἀνα ortum esse, satis confirmare. Non enim ex ἄν fieri pot-

erat *νὰ*, sed quum cognata vocabuli *ἀνά* significatio populo obversaretur, omissa, ut saepe factum, priore vocali eo modo usurpatum est *νὰ*, quo superiores vocalem in exitu positam abjicientes, dixerant *ἄν*. Exempla vide ap. Coraem Ἀτακτ. II. 256. Raro pro *ὅτι* accipitur, sive ista particula narrantis, et contendentis, sive causam et rationem afferentis est. v. c. *φαίνεται νὰ ἔπαθε πολλά*. Cf. Paraphr. vers. 426. Denique de temporali vocis potestate cf. Coraem l. l. pag. 257.

τίποτες pronomen indefinitum *aliquid, quidpiam, quidquam*, quod cum negatione *δὲν* conjunctum significat *nihil*. Hodie Graeci dicunt *τίποτε*, quamquam vulgus formas Aeolicas *τίποτα* et *τίποτας* in antiquioribus monumentis obvias adhuc servat. Cf. Cor. ad Ptoch. pag. 274. Locos ex vetustioribus scriptoribus allatos vide ap. Ducang. Gloss. med. et inf. Gr. Tom. II. p. 1572.

βιβλιὸ pro *βιβλίον*. Etenim in recentiore sermone non solum *ν* Accusativorum sing. primae et tertiae declinationis salva sententia abesse potest, ita ut dicatur *τὴν μοῦσα* pro *μοῦσαν*, *χάρι* pro *χάριν*, sed etiam *ν* neutris secundae declinationis in *ον* desinentibus in Nominativo, Accusativo et Vocativo singularis numeri frequenter a vulgo demitur. Neque tamen putandum est, hoc plane barbarum esse, siquidem jam veteres hac ratione *αὐτό*, *τοῦτο*, *ἐκεῖνο*, *ἄλλο* dixerunt. Jam vero nihil usitatius in vulgari loquendi genere, quam duorum sonorum ad diversas syllabas pertinentium conjunctio, qua fit, ut pro duabus una sit syllaba. Horum sonorum alter necessario ex iis est, qui aut ut *i*, aut ut *e* aliarum linguarum pronuntiantur. Prioribus praeter ipsum *ἰῶτα* adnumerari *η*, *ει*, *οι*, *υ*, in posterioribus autem *ε* et *αι* esse satis constat. Duo ista, quae commemoravi, sonorum genera ita cum sequenti vocali per synizesin in unam syllabam coalescere possunt, ut eodem

modo conjunctus utriusque sonus proferendus sit, quo in gallica lingua exitus vocis contribu*tion*. Quod quum in graeca lingua evenit, ἰῶτα caeteraeque vocales et diphthongi, quarum par est prolatio, nativum sonum retinent, contra ε et αι ea tantum lege cum sequenti vocali coalescunt, ut in sonum τοῦ ἰῶτα transeant. Accentus autem, si ante synizesin in penultima syllaba fuit, hac synizesi in ultimam conjicitur. Hinc apparet, cur pro βιβλίον dici queat βιβλιὸ͡ν, id quod nostrae aetatis Graecorum more τῷ ὑφὲν (⏑) infra adscripto indicare solemus. Similiter Graeci dicunt nonnunquam μιὰ͡ pro μία, Ῥωμιεὺ͡ς pro Ῥωμαῖος, λειοντάρι pro λεοντάρι, (cf. adn. ad paraphr. vers. 403.) δίκειος pro δίκαιος, et alia quae plurimis Zeniani carminis exemplis illustrantur. Sic quoque apud Euripidem Electr. versus 492. παλαιόν τε ϑησαύρισμα Διονύσου τόδε, qui interpretes admodum vexavit, ita fere scandendus est, ut prima vox pronuncietur παλιόν. Ad eandem normam exigenda sunt quae tanquam difficilia atque a vulgaribus regulis recedentia allata videmus ab Hermanno Elem. Doctr. Metr. pag. 52. seqq. Rarissime autem accentus in syllabam, quae synizesin praecedit, a Graecis conjicitur, velut in verbis ἐκόπιασα pro ἐκοπίασα, ἔνοιωσα pro ἐνοίωσα, συννίφιασμια pro συννεφίασμια, ξεκοίλιασε pro ξεκοιλίασε, quod legitur Paraphras. v. 362.

νέο pro νέον, ut ex regula modo explicata efficitur.

In verbis νὰ μοῦ πουλήσῃς ex consuetudine recentiorum Dativo carentium μοῦ pro μοὶ usurpatur. Namque hic casus aeque atque Accusativus in Dativi locum substituitur. Accusativum autem, ubi hoc sensu ponitur, praecedere etiam potest praepositio εἰς.

πουλήσῃς pro πωλήσῃς. Citerior graecitas in permultis scilicet vocabulis ω mutavit in ου, quorum in numero est

v. c. λουρίκιον pro λωρίκιον, quo ipso vocabulo noster in paraphrasi epicì carminis utitur. Si quis alia exempla desiderat, legat quae Coraes hac de re exposuit in Bastii adnotatione ad Schaeferi editionem Gregorii Corinthii pag. 363.

V. 2. ἕνα vulgaris forma est pro ἕν. Quippe vulgus pro εἷς, μία, ἓν frequentat ἕνας, μία, ἕνα, in hoc tamen a veterum usu recedens, quod hanc locutionem non solum nomen numerale, sed etiam novitiarum linguarum imitatione articulum indefinitum a Ptochoprodromi fere tempore esse voluit. Est igitur ἕνα βιβλίον non tantum *unus liber*, sed etiam *liber quidam* βιβλίον τι atque omnino *liber*, ut in recentium populorum linguis *un livre, ein Buch.* Prima hujus usus vestigia apud Theodorum Ptochoprodromum sunt βιβλ. ᾱ, στιχ. 125. σελιδ. 5. ed. Cor. Similes ex aliis scriptoribus locos allegavit Ducangius gloss. med. et inf. gr. T. I. pag. 384. seqq.

εὔμορφο pro εὔμορφον, ut ex iis, quae ad versum praecedentem notavimus, efficitur.

κ' ἰδές το i. e. καὶ ἰδὲ αὐτό. Reliquiae verborum in μι desinentium paucae admodum in recentiore graecitate servantur; quo magis mirandum est, ibi quandoque hujus verborum declinatus superesse vestigia, ubi ipsi veteres ab eo prorsus se abstinuisse videntur. Nemo certe antiquorum, quod nos quidem sciamus, ἰδὲς pro ἰδὲ dixit, nemo εἰπὲς pro εἰπὲ, quod versu tertio legitur. Caeteroqui illud το, quod imperativo hic subjungitur per aphaeresin ortum est ex αὐτό. Quum haec aphaeresis, quae non nisi in casibus obliquis sing. et plur. usitata est, admittitur, reliqua syllaba inclinatione praegresso vocabulo adnectitur.

ἂν ὁρίσῃς *si jubes, si imperas* i. e. hoc loco *si vis.* Cf. Paraphr. vers. 434. Hujusmodi locum, qui antiquorum usui repugnat, jam ex Codino de Offic. Palat. cap. 7.

num. 9. profert Ducang. l. l. T. 1. p. 1055. εἰσελθόντων οὖν καὶ προσκυνησάντων, ὁρίζει καὶ τούτοις διὰ ἑρμηνέως ὁ βασιλεύς. Notandum praeterea, a nostrae, memoriae Graecis ὅρισε et ὁρίσετε sic colloquiis inseri ut a Gallis interponitur *plaît-il*.

V. 3. εἰπές μου i. e. εἰπέ μοι. Vide superiora. — In verbis πῶς τὸ λέγουσι rursus τὸ pro αὐτὸ accipiendum est. Quodsi illud τὸ vel aliae voces, quae ob inclinationem antecedenti voci accentum tradere solent, non sequuntur, sed praecedunt illud, ad quod referuntur, vocabulum, eam mihi dixi legem, eruditis aliquot inter Graecos viris non improbatam, ut tum semper apicem hujusmodi voculae superponerem. Quare etsi scripsi τὸν υἱόν του, non tamen πῶς το λέγουσι admittendum, sed πῶς τὸ λέγουσι exarandum putavi. Finis hujus versus 'τι τώρα δὲν ἀδειάζω significat: ὅτι νῦν οὐ σχολάζω. Est enim τι per aphaeresin hic pro ὅτι, qui loquendi modus hodie a Graecis vitatur. Sed Ptochoprodromus quoque ante Zenum jam scripsit lib. 1. vers. 112. νὰ τὸν εἰπῶ τι μάθε του Γραμματικά, νὰ ζήσῃ i. e. νὰ τὸν εἰπῶ ὅτι· „μάθε του κ. τ. λ." Apud Ptochoprodromum quidem τι alio significatu positum est, eo scilicet, quo ὅτι jam apud Atticos pleonastice usurpatur, ubi verba alicujus in oratione recta referuntur, sed eadem tamen haec formae mutilatio est. De reliquo nihil frequentius in vulgi ore reperitur quam abjectio vocalis o in principio vocum. Itaque vulgus λίγος dicit pro ὀλίγος, λιγοθυμῶ et λιγοψυχῶ pro ὀλιγοθυμῶ et ὀλιγοψυχῶ. Cf. Cor. Ἄτακτα I. p. 85. Eodem modo Zenus vers. 456. paraphr. τὰ νύχια εἶχαν ξύμητα, σὰν τά 'χουσιν ἡ γάταις pro τὰ ὀνύχια εἶχαν ὀξύμητα.

τώρα apud recentiores idem valet quod veterum νῦν. Orta est haec particula ex τῇ ὥρᾳ ideoque acuenda est in penultima syllaba, non circumflectenda, ut saepe perperam

fit. Falsissima autem scriptura est τόρα, quam Ducangius in Glossario m. et inf. gr. T. II. 1586. habet, ubi ex vetustiorum scriptorum libris hujus significationis exempla citat.

δὲν ut Zeni tempore et jam prius, ita hodieque particula negativa est, cujus originatio facilis inventu videtur. Nam quum antiqui haud raro οὐδὲν sic adhibuissent, ut non multum differret ab οὐ, quamquam paulo fortius est, velut Aristoph. Eccles. vers. 644. τὰ μὲν ἄλλα λέγεις οὐδὲν σκαιῶς vel Sophocl. Oed. Col. vers. 779. — ὅτ' οὐδὲν ἡ χάρις χάριν φέρει, vel Lucian. Asin. 19. Οἱ δὲ τὰ μὲν πρῶτα ξύλῳ παίοντες τὸν ὄνον ἀναστῆναι τὸν ἅλιον ἐκέλευον, ὡς δὲ οὐδὲν ὑπήκουε ταῖς πληγαῖς etc. posteriores hunc atticismum inepto quodam elegantiae studio identidem repetentes procedente tempore οὐ particulam prorsus abjecerunt, denique vulgus detruncato, ut ita dicam, vocis capite pro οὐδὲν simpliciter δὲν dicere non dubitavit. Hanc etymologiam, quam et Coraes non improbasse putandus est, (cf. Ἄτακτα I. pag. 46.) ut deseram nullo modo induci possum quodam Alcaei loco apud Etymol. pag. 639, 17, ex quo Zenobii auctoritate fretus idem illè (l. l. pag. 180.) collegit, pronomen δεὶς apud veteres simili significatu quo οὐδεὶς fuisse. Videtur enim δεὶς idem designasse quod τὶς, quod Coraes quoque non prorsus negat. Cf. praeterea Buttmanni gramm. ampl. tom. I. p. 282. et Passovii lex. s. v. οὐδείς.

ἀδειάζω apud recentiores est, *otior, vaco, feriatus sum.*

V. 4. δουλειὰ σπουδακτικὴ ablato *ν* pro δουλειὰν σπουδακτικήν. Caeterum δουλειὰ ea, qua hic ponitur, potestate jam hic illic apud Byzantinos scriptores legitur.

στέκω vel στέκομαι citerioris graecitatis vocabulum, *stare, versari, commorari, esse* significans ex veterum perf. act. verbi ἵστημι formatum est. Aoristum habet ἐστά-

στάθην. Histor. Apollonii Tyrii κ' ἕνα κλειδὶ νὰ στέκεται εἰς τὰ 'δικά του χέρια, quem locum Ducang. gloss. med. et inf. gr. pag. 1439. laudans male scripsit κλειδή να.

διαβάζω i. e. ἀναγιγνώσκω. Quomodo *legendi* notio in hoc vocabulum illata sit, fortasse non difficile dictu est. διαβάζω non existimo pro composito antiquissimi verbi βάζειν *loqui* habendum esse, sed idem fuisse primitus quod διαβαδίζω et διαβαίνω i. e. *transeo*, cujus significationis praesidia cum aliunde, tum ex substantivo βάδος (cf. Aristoph. av. 42.) peti possunt. Quodsi probabile est, διαβάζω proprie valuisse tantundem, quantum διαβαίνω, nemini dubium erit, quin ex *transeundi* potestate *legendi* vis mox exsistere potuerit, quae posterior mansit, licet prior prorsus evanuerit. Non aliter Gellius IX., 4. locutus est, qui: „eos libros omnes, inquit, duabus proximis noctibus cursim *transeo*" h. e. perlego.

V. 5. τοῦ σοφώτατου metri causa pro σοφωτάτου. Nam Demetrius Zenus pariter atque alii poetae, qui politicis versibus usi sunt, metri causa accentuum sedem mutare nunquam reformidavit, cujus generis multa exempla et Carmina popularia a Faleriale (Chants populaires de la Grèce moderne, recueillis et publiés par C. Fauriel. Deux tomes. à Paris 1824 et 1825.) edita continent. Etsi enim politicorum versuum ratio postulat, ut poetae in condendis hujus generis carminibus verborum accentum tanquam normam sequantur, illi tamen mira nonnunquam licentia sibi sumta pro arbitratu accentum mutarunt. Sic Theodorus Prodromus de paupertate sua vers. 47. pag. 3. ed. Cor.:

εἰ γὰρ καὶ λέξων ἤρχομην μυθοπλαστῶν τοὺς λόγους

et vers. 49. ἐν σοὶ γὰρ ἐγκατοίκησεν ἡ τοῦ θεοῦ προνοία, in quibus locis pro ἤρχομην et προνοία exspectandum erat

ἠρχόμην et πρόνοια. Idem libro κατὰ τ. Ἡγουμ. vers. 276. pag. 24. ed. Cor.

καὶ κατ' ὀλίγον ὀλιγὸν συντρίβω τὰ ὀστᾶ μου.

Pariter hodie in carminibus popularibus v. c. ap. Falcrialem Tom. II. pag. 132:

ἄσπρον φουστανὶ φοροῦσε, κόκκινον κουκλί,

ubi φουστάνι linguae legibus convenientius erat.

V. 6. κάμνει bene vertit Crusius *facit*. Est enim apud Graecos recentioris aetatis κάμνω nihil nisi *facio*, ita ut magni cujusdam laboris suscepti significatio, quam apud Homerum, ubicunque transitive hoc verbum usurpat, reperiri neminem accuratius singulos locos considerantem fugit, nunc plane a verbo absit. Jam quum paulo aliud sit Homericum Il. VIII., 195. δαιδάλεον θώρηκα, τὸν Ἥφαιστος κάμε τεύχων, quam quod nunc Graeci ad multas res applicant κάμνω, exempli gratia ἔκαμε ταξίδιον *iter fecit*, subit profecto mirari, quod praeter Dehèquium in Dictionnaire grec moderne français s. h. v. ac Davidem Προλεγ. εἰς τὸν Παραλληλισμὸν τῆς ἑλλ. κ. γρ. γλ. σελ. ι'. et alii viri docti inter eam, quam commemoravi Homericam verbi potestatem et illam, quae nunc in usu est, significationem nihil discriminis esse statuerunt.

γιατ' ἐμὲ per paragogen, quum vocalis sequatur, pro γιὰ ἐμὲ i. e. δι' ἐμὲ. Proprie sonat: „*ad me*, id est, ut Crusius recte expressit *ad meum usum*. Similiter adjecto τ ἀποτ' pro ἀπὸ barbare dicitur v. c. ἀποτ' ἐμένα. Cf. Coraem ad Prodrom. pag. 70. De reliquo observare liceat, significatum praepositionis διὰ cum accusativo constructae, quem hic cernimus, latissime per linguam diffusum esse. Neque enim solum ad id, quod usui est, enunciandum applicatur, sed etiam ad finem et consilium exprimendum. Quo in genere mirum est, prope semper ad interpretandum aptam

esse Gallorum praepositionem *pour*. Paucis exemplis defungar: αὐτὸ τὸ βιβλίον εἶναι διὰ τοὺς ἀρχαρίους *hic liber tironum in gratiam conscriptus est*, *pour les commençans*, θέλει μισεύσει διὰ τὴν Λειψίαν, *il partira pour Leipsick*, ἀπερνοῦσε διὰ μεγάλος ῥήτωρ, *il passait pour un grand orateur*.

μιλεῖ per aphaeresin vocalis o pro ὁμιλεῖ *loquitur*; qui usus deterioris graecitatis est. Apud veteres nimirum, si ὁμιλεῖν similem usum habere videtur, vertendum est *colloqui, confabulari, sermocinari, orationem coram populo habere*. At de scriptore nemo unquam antiquorum hoc verbum usurpavit.

βαθεῖα metri causa pro βαθειά, quod neutrum plur. est adj. βαθύς, βαθειά, βαθύ adverbii vice hic fungens. Cf. adnot. ad Paraphr. vers. 72. De declinatione horum adjectivorum vide Julii Davidis Παραλληλισμὸν τῆς ἑλληνικῆς καὶ γραικικῆς γλώσσης pag. 19. —

V. 7. γιατὶ natum est ex διά τι, *propter aliquid*. Hinc patet, cur γιατὶ barbaro usu causalis particula evadere potuerit, ita ut designet *propterea quod, quum, quia, nam*.

ἐμεταγλωττίσθη *conversus est*, *in linguam* (nostram) *translatus est*. μεταγλωττίζω, vox plebeja, cujus antiquiorem auctorem nescio, quam Sguropulum, qui eam in Histor. concil. Florent. sect 6. cap. 17. et alibi habet. Caeteroquin augmentum syllabicum in recentiore sermone ante praepositionem poni solet in verbis compositis, si prima illius praepositionis littera consonans est, ut hic videmus, sin autem vocalis est, post praepositionem inseri debet, ut ἀπεκρίθη. Neque tamen semper haec regula observatur, sed inveniuntur etiam verba dupliciter aucta, quale est ἐκατήντησε, quod legitur in Paraphrasis versu 15. Nonnunquam etiam omittitur augmentum, velut versu 131. ἀπόσφιγγε.

V. 8.

V. 8. ἀπὸ nunc semper cum Accusativo conjungitur. ἐῤῥιμαρίσθη Crusius vertit: *ad Rhythmos collatus est*, in quibus verbis *rhythmos* dicit eo sensu, quo medio aevo istud vocabulum accipiebatur, ita ut rhythmus idem sonet quod *rimus*, de qua barbara voce vide glossaria med. et inf. latinitatis. Ponitur autem *rimus*, quod ipsum ex *rhythmi* nomine corruptum est, eadem significatione, qua orta inde in novitiis linguis nomina *rima, rime, rhyme, Reim.* Igitur Graeci postquam suam vocem ῥυθμὸς aliis dederunt gentibus, ab his eam corruptam vicissim mutuati sunt dicendo ῥίμια et ῥιμάδα. Est porro ῥιμάρω et ῥιμαρίζω *versus similiter cadentes compono*, et ῥιμαδόρος sive ῥιμαδοῦρος *versuum homoeoteleutorum scriptor* vel omnino *versificator*. Quem inter Graecos probabile sit primum hujuscemodi versiculos, in quibus finalis concentus observatur, quibusque ideo media aetate apud Latinos *caudatorum* nomen fuit, fecisse, alibi exponam. Interim legantur quae Santenius ad Terentianum Maurum de versibus poetarum vulgarium pag. 163 seqq. commentatus est.

V. 9. σὲ ῥίμια i. e. εἰς ῥίμιαν vel, ut antique loquar, ἐν στίχοις ὁμοιοτελεύτοις. Nam praepositio σὲ ab auctore per aphaeresin pro εἰσὲ, qua forma pro εἰς aliquoties utitur, versui hic aptata est. In ipsa paraphrasi verbi gratia vers. 51 κ' εἰσὲ καλύβη legitur.

ἔνε recentiores et pro ἐστὶ et pro εἰσί superioribus saeculis dixerunt; nunc in ejus locum substitutum est εἶναι. Illud ἔνε originem ducit a veterum ἔνι, quod pro ἔνεστι usurpatum satis notum omnibus est. Est tamen praeterea, ubi ἔνι simplicis tantum verbi potestate fungatur, velut in vocabulo ἔνιοι i. e. εἰσὶν οἵ. Hanc significationem vulgus frequentans paulatim et ἐστὶν et εἰσὶν abjecit, mox ablata posteriori vocali ἔν pro ἔνι sonare coepit, deinde more suo

post ν finale vocalem ε addendi (cf. Davidis Méthode pour étudier la langue grecque mod. p. 60.) ἔνε usurpavit, cujus loco nonnulli ob pronunciationis aequalitatem ἔναι scripserunt, donec recentissima forma εἶναι exstitit, quae sermonis vitio cum antiquorum infinitivo congruens nunc omnium usu celebratur. Copiosius hac de re egit Coraes Ἀτάκτων tom. I. pag. 95. In edendo Zeniani operis textu ubique posui ἔνε pro ἔναι propterea quod illa forma sermonis graeci naturae accommodatior est. Quod quum de εἶναι quoque judicandum sit, non vituperandus est Gennadius, quem in Γραμματικῇ τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης apud Aeginetas typis excusa, constanter εἶνε pro εἶναι scripsisse video.

In verbis μὴν ἀργήσῃς *ne cunctare* μὴν non est antiquorum μὴν sed μὴ auctum a fine ob sequentem vocalem τοῦ ἐφελκυστικοῦ ν adjectione. Sunt tamen hodie apud Graecos, qui etiam ante consonam dicant μήν.

V. 10. ἔπαρε imperativus aor. act. est verbi ἐπαίρνω, vulgo παίρνω, quod ab antiquo ἐπαίρω manavit. Est vero imprimis παίρνω apud recentiores *sumo, aufero, tollo.* Cf. praeterea adnotationem ad Paraphr. vers. 74.

Particulae εἰ cum Conjunctivo constructio, quam noster hic habet, licet veteribus haud ignota sit, (v. doct. in ephem. litt. Halens. 1825 no. 33. p. 272.) hodie tamen parum usitata est. Etenim nostrae aetatis scriptores sic usurpant ἄν. Cf. ad paraphras. vers. 41. —

ἐσὺ pro antiquo σύ.

V. 11. ἐτοῦτο ex plebeja loquendi ratione pro τοῦτο. 'πέ το pro εἰπέ το i. e. εἰπὲ αὐτό.

V. 12. τὴν ᾠίμια rursus pro τὴν ᾠίμιαν. Porro τό 'βαλε detractione augmenti pro τὸ ἔβαλε i. e. αὐτὸ ἔβαλε.

In μεταγλώττισε deest augmentum ante praepositionem, nisi forte Zenus κ' ἐμεταγλώττισε scripsit.

V. 13. ξεύρεις vulgariter pro ἐξεύρεις, cujus loco alii saepe et scribunt et pronuntiant ἠξεύρεις vel ἰξεύρεις. Minus recte dici ἠξεύρω et ἰξεύρω ex etymologia patet, quoniam hoc vocabulum ab antiquo ἐξευρίσκω fluxit. Est vero ἐξεύρω *scio*, quo verbo nunc Graeci pro οἶδα semper utuntur. Vix dubium videtur, quin jam apud Herodotum I., 25. eadem reperiatur significatio. Herodoti verba sunt Γλαύκου τοῦ χίου ποίημα, ὃς μοῦνος δὴ πάντων ἀνθρώπων σιδήρου κόλλησιν ἐξεῦρε i. e. *Glauci Chii opus, qui solus omnium hominum jam ferruminationem scivit.* Nam frigida profecta erit sententia, si quis hic vertat *excogitavit.* Porro apud Cebetem p. 64, ed. Corais εὑρίσκω eandem vim habet.

γνωρίζω apud recentiores plerumque est *novi, scio.*

Commentarius

in Paraphrasin Batrachomyomachiae.

V. 1. Πρὸ τοῦ ν' ἀρχίσω hodie idem sonat quod apud veteres πρὶν ἄρξασθαι. Aequiparat enim πρὸ τοῦ νὰ sequente conjunctivo veterum particulam πρίν, quae tamen nondum plane obsolevit, quum plurimi hoc significatu adhibeant πρὶν νὰ adjecto conjunctivo. Sed ἀρχίζω *incipio* novum et inauditum antiquis vocabulum est. Ejusdem potestatis in vulgi ore sunt ἀρχηνίζω et ἀρχινῶ, quae et Ducangius memorat Gloss. med. et inf. gr. Tom. I, pag. 129, qui modo in hoc peccat, quod praesens ἀρχήνω vel ἀρχίνω esse credit.

τὸν Δία cum antiquo accusativo hic concinit, pro quo licebat et Δίαν usurpare, quando nominativo Δίας infra utitur Zenus vers. 429 οὕτως ὁ Δίας ἔλεγεν.

V. 2. In verbis νὰ μ' ἀποστείλῃ vel νὰ μὲ ἀποστείλῃ accusativus est pro dativo. Vid. quae diximus ad Dialogi vers. 1. — 'ς τούτην τὴν ἱστορίαν ex plebeja loquendi ratione pro εἰς ταύτην τὴν ἱστορίαν.

V. 3. ταῖς Μούσαις accusativus Aeolicus est, quem vulgus nunc quoque retinet pro τὰς Μούσας. —

ὁποῦ pronomen relativum indeclinabile, cujus loco etiam ποῦ frequentatur. Legitur jam apud Theodor. Pro-

dromum I. vers. 87, ad quem locum cf. Corais adn. Differt illud ὁποῦ ab ὅπου, cujus antiqua remansit vis, et accentu et significatione. Haec differentia, licet a Graecis nostrae aetatis perpetuo observetur, saepe tamen in antiquiorum libris vulgari sermone scriptis confunditur, adeo ut imprimis ὅπου exaratum reperias, ubi ὁποῦ scribi oportebat. Hoc ipsum documento esse potest, pronomen illud ὁποῦ ex adverbio loci ὅπου natum esse. Quae quum ita sint, hic quoque servassem ὅπου, si in textu reperissem. At quoniam superiores editores nullum apicem huic voci superposuerunt, ὁποῦ praetuli, sperans fore ut, qui haec legent, metrum, quod prima specie claudicare videtur, pronunciatione restituere sciant. Pariter Rhizus in Aspasia: *κ' αὐτῶν ἡ ζωὴ ἔπαυσε καὶ τῶν ἡρώων ὅλων.*

Κατοικοῦν forma vulgaris pro *κατοικοῦσι habitant*, ut *τιμοῦν* pro *τιμῶσι*, *λέγουν* pro *λέγουσι*.

In verbis 'ς τ' ὄρος i. e. *εἰς τὸ ὄρος* praepositio *εἰς* vice fungitur ejus, quam antiqui ad quietem in aliquo loco indicandam applicarunt. Raro scilicet Graeci recentiores Dativo privati praepositionem *ἐν* adhibent, si a nominibus urbium, cui ab eruditis illa adjici solet, atque a quibusdam loquendi generibus recesseris.

V. 4. De *γιατὶ* vide quae diximus ad vers. 7. dialogi.

δύνομαι rarior forma pro *δύναμαι*, cujus et Demetrius Nicolaus Darvaris mentionem facit in Γραμματικῇ ἁπλοελληνικῇ pag. 187. — *λογαριάζω* apud recentiores est: supputo, computo, numero, *recenseo*.

V. 5. *τοῦ Ἄρη* vulgariter pro *τοῦ Ἄρεος*. Servat enim vulgi consuetudo saepe in casibus obliquis nominum propriorum vocalem, quam nominativi singularis terminatio continet.

V. 6. Ὁποῖος nihil hic est nisi pronomen relativum,

pro quo hodie ὁ ὁποῖος dicitur. Coraes ad Ptochoprodromum pag. 67. hic sejunctim scribi vult ὁ ποῖος ita ut ὁ articulus sit. Non refragarer ejus sententiae, quae usu plurimorum prioris aetatis scriptorum confirmatur, nisi ipse Zenus ei adversaretur, qui vers. 462 ὁποῖοι ὀνομάζονται dicit, non οἱ ποῖοι, id quod testimonio est, hic quoque conjunctim ponendum esse ὁποῖος. De reliquo exempla illius ὁ ποῖος ex aliis scriptoribus allata vid. ap. Cor. l. c. Noster praeterea vers. 247 ὁποῖον τὸν ἐφόνευσε miro modo adhibuit pro eo quod nunc inverso verborum ordine τὸν ὁποῖον ἐφόνευσε efferuut.

θεὸς per synizesin hic monosyllabum est. Eadem synezesis jam ab Homero Odyss. lib. XX., 61. in voce θεά usurpata est:

Ἄρτεμι, πότνια θεά, θύγατερ Διός, αἴθε μοι ἤδη.

λογίζεται hic passive accipiendum est, quae usurpatio antiquorum loquendi rationi repugnat.

παλληκάρι vel παλληκάριον designat *adolescentem* vel *juvenem*, imprimis *fortem juvenem* in armis tractandis perpetuo versatum. Est autem παλληκάρι deminutivum vocabuli πάλληξ veteribus jam noti. At vero tenendum est, deminutiva recentiorum Graecorum haud raro significatione non differre ab iis, a quibus derivata sunt, vocabulis; quae quoniam nonnunquam interierunt, nova deminutiva ab his deminutivis formari solent.

Qua de re sic Coraes ad Plutarchum 3, ξθ. ἡ κατάχρησις, inquit, τῶν ὑποκοριστικῶν εἰς τοὺς παλαιοὺς κωμικοὺς ἐγγέννησεν εἰς τοὺς ἑξῆς χρόνους τοῦ παρακμάζοντος ἑλληνισμοῦ τὴν χρῆσιν τῶν ὑποκοριστικῶν ἀντὶ τῶν πρωτοτύπων. Ἀφοῦ μίαν φορὰν ἡ γλῶσσα διὰ τὴν συχνὴν μεταχείρισιν τοῦ παιδίου, ψωμίου, βώδιον κ. τ. λ. ἀντὶ τοῦ παῖς, ψωμὸς, βοῦς, ἔχασε τὰ ἀληθῆ της ὑποκοριστικὰ, ἐπενόησεν ἄλλα

νέα εἰς ακιον, παιδάκιον, ψωμάκιον, βῳδάκιον. Adde eundem Προδρομ. Ἑλληνικ. βιβλιοϑ. σελ. 317. et Ἀτακτ. τομ. α' σελ. 47. Porro notandum est, ultimam deminutivorum in ιον desinentium syllabam a plebe graeca nunc quidem omitti, ita ut παλληκάρι, ψωμί, βῴδι dicatur, sed antiquiores Graecos παλληκάριν, ψωμίν, βῴδιν dixisse, cujus generis plurima exempla Theodorus Ptochoprodromus suppeditat. Neque vero haec posterior forma jam prorsus in Graecia intercidit, siquidem Cyprii et Pontici etiam nunc sic loquuntur. Quid? quod hujus analogiae jam in inscriptionibus secundi vel tertii post Chr. n. saeculi quaedam exempla sunt. Nam apud Boeckh. Corp. Inscr. tom. I. part. 11. num. 506. et 704. leguntur nomina mulierum propria Ἐλευϑέριν et Φιλημάτιν i. e. Ἐλευϑέριον et Φιλημάτιον. Quod reliquum est παλληκάριον jam apud medii aevi scriptores legitur; cf. Ducang. Glossar. med. et inf. gr. Tom. I. pag. 1085.

V. 7. ὅλους *omnes* hoc sensu jam Sophocleum est in Ajace vers. 1084, ubi vide Hermanni adnotationem. — νά' χετε pro νὰ ἔχετε i. e. νὰ ἔχητε. — τὴν ὑγειά σας per synizesin et apocopen pro τὴν ὑγείαν σας. In his verbis σας proprie accusativus pluralis est pronominis personalis secundae personae pro antiquo ὑμᾶς. Verum forma illa et possessivum habet sensum.

V. 8. καλὰ pro καλῶς. Cf. v. 6. dialogi. — ν' ἀνοίξετε τ' αὐτιά σας metri causa pro νὰ ἀνοίξετε τὰ αὐτία σας Originatio nominis αὐτίον, in qua explicanda mire ad hunc locum fallitur Ilgenius, nulla difficultate impedita est. Postquam veteres ὠτίον deminutivum ab οὖς, ὠτός formarunt, mutatione quadam ipsis etiam antiquis Graecis non ignota ὠτίον transiit in αὐτίον apud posteriores. Constat nimirum quod ab Atticis appellabatur ϑαῦμα apud Ionas sonasse

θῶμα. Eosdem κῶμα dixisse pro eo, quod apud Atticos erat καῦμα, discimus e Grammatico Meermanniano addito Schaeferianae Gregorii Corinthii editioni pag. 654. Ut versu 6. παλληκάρι, licet nomen deminutivum sit, tamen non *adolescentulum*, sed *adolescentem* vel *juvenem* indicat, ita αὐτίον non *auricula* est, sed *auris*.

V. 9. ν' ἀκούσετε pro νὰ ἀκούσετε i. e. ἀκούσητε, ita ut sit conj. aor. correpta penultima mutatoque η in ε.

γιὰ τί ἀφορμὴ pro διὰ τίνα ἀφορμήν.

ποντικὸς in citeriore Graecitate *murem* significat. Cf. Ducang. Gloss. med. et inf. gr. Tom. I. p. 1202. Exemplis ab illo citatis adde Damasceni Studitae locum in Μερικῇ διαγνώσει ἐκ τῶν παλαιῶν φιλοσόφων περὶ φύσεως καὶ ἰδιωμάτων τινῶν ζώων (Venetiis 1682) pag. 56. περὶ μυός. — ἐποῖκαν vulgaris aoristus ex veteri perfecto formatus. Valet igitur ἐποῖκαν idem quod ἐποίησαν, licet fluxerit ex πεποιήκασι. Confunduntur videlicet in hac vulgi loquela terminationes αν et ασι, cujus rei infra multa documenta habebimus, velut vers. 450. εἴχασι pro εἶχαν i. e. εἶχον.

V. 10. 'ς τοὺς βορθακοὺς pro εἰς τοὺς βορθακοὺς quae verba dativi vicem explent, *Itana* hic et alibi appellatur βορθακὸς, versu 17. βορθακὰς, quibus formis adjici possunt quae Ducangius l. l. pag. 211. ex aliis scriptoribus affert. Quum istae omnes ex veterum verbo βάτραχος manaverint, vix attinet quaerere, quae sit ejus vetustissima depravatio. Causas, cur exciderit dativus e lingua graeca recentiori, commemorat Constantinus Oeconomus libro περὶ τῆς γνησίας προφορᾶς τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης pag. 391. seqq. et pag. 600. — ἐμπῆκαν, pro quo et ἐμβῆκαν dicitur, est aoristus verbi ἐμβαίνω vulgo ἐμπαίνω sive

μπαίνω. Vide quae ad versum praecedentem de ἐποῖκαν diximus.

V. 11. κι ἀνθρώπους pro καὶ ἀνθρώπους. Rationem, cur καὶ in κι hic transmutari queat, jam explanavimus ad dialogi vers. 1. — ἐμιμήθησαν i. e. ἐμιμήσαντο. Utuntur enim nostrorum temporum Graeci Passivo pro antiquorum Medio, quo carent, id quod et veteres interdum fecisse constat v. c. Hom. Odyss. I, 31. τοῦ ὅγ' ἐπιμνησθεὶς ἔπε' ἀθανάτοισι μετηύδα. — τοὺς ἄνδρες vulgariter pro τοὺς ἄνδρας. Cf. vers. 454. —

V. 12. ὡσὰν, pro quo et σὰν usurpatur, apud recentiores significat *sicut, ut, velut.* — γιγάντες pro γίγαντας. De accentu transposito vide quae notavimus ad dialogi vers. 5.

V. 13. ἕναν acc. vocis ἕνας, de qua diximus ad dialogi vers. 2. — καιρὸς hic non est *tempus opportunum*, ut veterum usus exigit, sed universe *tempus*. Nam ex vulgari consuetudine χρόνος est *annus*, καιρὸς *tempus*, εὐκαιρία *tempus opportunum*. De hac potestate vocabuli χρόνος vide locos ex Byzantinis scriptoribus a Ducangio allegatos; καιρὸς jam sic adhibetur ab Herodiano v. c. lib. I, 1. μέχρι τῶν Μάρκου καιρῶν. lib. I, 12. κατ' ἐκεῖνο καιροῦ atque alibi. — In ηὑρέθην pro ηὑρέθη barbare adjectum est *ν*, ita ut haec tertia persona cum prima congruat. Sic et Theodorus Prodromus de Paupertate sua vers. 71. ἐκτενίσθην pro ἐκτενίσθη. — ἱδρωμένος barbaro usu pro participio activi. Idem dicendum de participio non melioris notae, quod legitur versu sequenti διψασμένος. Eadem ratione Barbarograeci dicunt ἀποθαμμένος *mortuus* et alia, quae vel recentiorum linguarum imitatione vel antiquae elegantiae oblivione paulatim invaluerunt.

V. 14. In verbis τῆς γάτας ἔφυγε Genitivus τῆς γά-

τας nihil habet, in quo offendere aliquis possit. Etenim jam Sophocles Philoct. vers. 1030. p. 78. ed maj. Erfurdt

εἰ δ' ἴδοιμ' ὀλωλότας
τούτους, δοκοῖμ' ἂν τῆς νόσου πεφευγέναι

pro τὴν νόσον usurpavit, quae tamen junctura et in antiquorum libris rara est. Eadem analogia est in verbis τὸ πῶς νὰ τῆς γλυτώσω, quae versu 91. leguntur. Est autem ἡ γάτα et ὁ γάτος nunc apud Graecos *felis*, *catus*, quam vocem latinam esse, non est, quod moneam. — ἤτονε cum ν ἐφελκυστικῷ et ε paragogico pro ἦτο i. e. ἦν.

V. 15. De ἐκατήντησε dupliciter aucto vide quae observavimus ad dialogi vers. 7. — τὴν δίψαν του νὰ 'βγάλη i. e. τὴν δίψαν αὐτοῦ νὰ ἐκβάλῃ. Saepius scilicit κβ in βγ mutatur; verbi causa in ἐβγαίνω pro ἐκβαίνω et ἐβγάζω pro ἐκβάζω (tollo) idem conspicitur.

V. 16. πηγούνι abjecta terminatione pro πηγούνιον deminutivum est dictionis πώγων ex πωγώνιον ortum. Nihil memorabile est in ω, quod transiit in ου (cf. ad vers. 1. dialogi); in rarioribus autem exemplis numerandum, quod hic ω et η alternant, sicut apud veteres Μαιῶτις et Μαιῆτις, πτώσσω et πτήσσω. Cf. Fischer ad Well. p. 85. et Wesseling. ad Herodot. IX, 31. p. 707., 70. Etsi vero πωγώνιον in antiqua lingua *barbulam* designat, tamen apud recentiores alia potestate accepta *mentum* est. — τό 'βρεξε i. e. τὸ ἔβρεξε. De inclinatione hujus verbi vid. notata ad dialogi vers. 1. — μὲ cum accusativo in citeriore graecitate aequiparat praepositionem μετὰ cum genitivo apud veteres constructam. Sed nihil aliud est hoc μὲ, nisi ipsum μετὰ posteriore syllaba privatum. Quare et apud Demetrium Zenum et apud alios ejusdem et prioris aevi scriptores eodem significatu etiam μετὰ Accusativo junctum frequentatur, ut infra videbimus. Quae quum ita

sint, quoniam constanter Accusativum adsciscere coeperat haec praepositio, necesse fuit, ne duplex ejus potestas confunderetur, aliam excogitari viam, qua distingui altera ab altera posset. Itaque multi dixerunt *μετὰ τοῦτον* id ut esset *cum hoc*, *ὕστερον ἀπὸ τοῦτον* vero ut sonaret: *post hunc*, in quibus verbis *ἀπὸ τοῦτον* genitivi locum tenet. Quippe veteres hac vi *τούτου ὕστερον* usurparunt v. c. Thucyd. I, cap. 50. *ἃς ὕστερον τῶν δέκα ἐξέπεμψαν οἱ Ἀθηναῖοι*. At hodie temporalis vis et potestas reddita est huic praepositioni, si accusativum adjunctum habet, alter autem sensus nunc quoque exprimitur vocala *μὲ*, hoc excepto, quod, si pronomen a vocali incipiens sequitur, dici convenit *μετ'* pro *μὲ* exempli causa *μετ' ἐμένα* mecum *μετ' ἐσένα* tecum, *μετ' ἐκεῖνον* etc. Cf. praeterea quae diximus ad vers. 64. — *μεγάλη* pro *μεγάλην* ob finalem concentum.

V. 17. *τὸν ἐρωτᾷ* i. e. *αὐτὸν ἐρωτᾷ* Cf. adnotata ad dialogi vers. 3. — *ποῖος εἶσαι* i. e. *τίς εἶ*, ita ut vertendum sit non ut Crusius fecit, *qualis es*, sed *quis es*. Etenim *ποῖος* nunc fere idem est quod *τίς*, contra antiquum *ποῖος* redditur circumlocutione *ποίας λογῆς cujus modi*.

V. 18. *ἐδαπᾶ huc*. Ducang. Gloss. med. et inf. Graec. tom. I. pag. 350. formam *ἐδεπά* affert, quae et hodie a Graecis usurpatur. Nostram formam, quae jam in usu esse desiit, miramur ab eo omissam esse, qui id operam dedisse videtur, ut ex hoc quoque Zeniano opere rariores locutiones Glossario suo insereret. — *μ' ἐμὲν mecum*. Pro *ἐμὲ* hodie Graeci dicunt vel *μὲ* vel *ἐμένα*, quae posterior forma jam Ptochoprodromi tempore usitata erat, quamquam ille insuper addito *ν* paragogico *ἐμέναν* lib. I, 90. et *μέναν* lib. I. vers. 183. dicit, pro quo et *μὲν* vel fortasse *ἐμὲν* ex Corais conjectura vers. 367. legitur. Idem ille vir doctus Ἀτακτ. I. pag. 179. existimat,

hanc syllabam *να* in *ἐμένα* et *ἐσένα* idem esse additamentum, quo in dorica dialecto pronomina instructa erant, nisi quod Dores pro *α* posuerunt *η ἐγώνη* dicentes, non *ἐγώνα*. Hanc opinionem neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est. — *φιλία ποῖσε* pro *φιλίαν ποίησε* i. e. *φιλίαν ποίησον*. Recentiores enim hujusmodi aoristorum imperativos non in *ον* sed in *ε* terminare solent, praeterea in plurativo numero non *ποιήσατε* sed *ποιήσετε* adhibent. Cujus rei jam apud veteres quaedam exstant vestigia, quae varie quidem a grammaticis explicantur, quorum tamen veram rationem Apollonius *περὶ συντάξεως* I, 36. perspectam habuisse videtur. Is videlicet, quamvis paulo obscurius: *ὅτι ποιητικώτερον μὲν τὸ Οἶσε*, inquit, *κατ' ἐναλλαγὴν εἴρηται τῆς φωνῆς τῆς Φέρε καὶ τῆς Γραψέτω, καὶ τὰ ὅμοια, οὐ κατὰ διάφορον μὲν χρόνον, κατὰ δὲ ἐκλογὴν ὀνόματος, ὁπότερον εἴη, κατωρθωμένον· καθάπερ ἤδη προεμελετήθη τοιαύτη ζήτησις καὶ ἐν τῇ ὁριστικῇ ἐγκλίσει, Ἔγραψας ἢ Ἔγραψες, οὐ διαφορᾶς οὔσης χρονικῆς, αὐτὸ δὲ μόνον γραφῆς, δυναμένης οὐκ ἀπιθάνως παραλαμβάνευθαι.* Caeteroqui conf. Corais adnot. ad Ptochopr. pag. 104. seqq. et Buttmanni Gramm. amplior. Tom. I. p. 418. seqq.

V. 19. *ἀλήθεια* pro *ἀλήθειαν*. — Verba, ut in superioribus editionibus exstant *τίς ἔναι ὁ γονήισου* a Crusio latine reddita *quis est parens tuus?* nullo modo ferri possunt. Proinde aut corrigendum est *τίνες ἔν' οἱ γονεῖς σου qui sunt parentes tui?* aut *τίς ἔνε ἡ γονή σου quod est genus tuum? quo genere natus es?* De forma *ἔνε* jam supra dixi ad dialogi vers. 9.

V. 20. De *τίποτες* dixi ad dialogi vers. 1. — *ποῦαν* per syncopen pro *ποίησαν* i. e. *ἐποίησαν*. — *οἱ δικοί σου tui*. Etenim *ὁ ἰδικός μου*, cujus loco vulgus et *ὁ ἐδικός μου* et *ὁ δικός μου* frequentat, idem valet, quod *meus*, *ὁ ἰδικός μας* est *noster* etc. Hoc

ἰδικὸς vulgo male ab ἴδιος derivatur; at nihil aliud est, nisi vetus vocabulum εἰδικὸς vel ἰδικὸς *specialis*, cujus significatio paulo alia nunc facta est.

V. 21. κι ἂ' σὲ γνωρίσ' ἀληθινὸν pro καὶ ἂν σὲ γνωρίσω ἀληθινόν. — θὲς per syncopen pro θέλεις. Est autem θὲς ἔχει futurum periphrasticum pro ἕξεις, in qua structura ἔχει Infinitivus praesentis est omisso ν. Vide de hoc argumento disputantem Cor. Ἄτακτ. I. p. 158. seqq. et quae nos observavimus infra ad vers. 163. — τὴν φιλιά μου i. e. τὴν φιλίαν μου.

V. 22. νὰ σ' ἐμπάσω *te introducam*. Superioribus saeculis Graeci νὰ cum Conjunctivo et Praesentis et Aoristi pro futuro adhibebant, subaudientes, opinor, θέλω. Similia exempla attulit Coraes Ἄτακτ. Tom. II. pag. 20. ἐμβάζω apud recentiores designat *introduco, induco*, pro quo noster plebeja depravatione ἐμπάζω finxit. — νὰ ἰδῇς i. e. ἵνα ἴδῃς. In Conjunctivo aoristi hujus verbi recentior sermo, si accentum spectamus, ab antiquo deflexit. Eodem modo nunc Graeci εἰπῶ pro εἴπω transposito accentu efferunt. — τὴν κατοικιά μου pro τὴν κατοικίαν μου.

V. 23. φιλικὰ χαρίσματα non admodum accurate reddit archetypi vocem ξεινήϊα, qua designantur, ut sciunt omnes δῶρα διδόμενα εἰς ξένου, ἤγουν φίλου ἐκ ξένης γῆς, quam Cumae explicationem e lexico huc transscripsi, ut intelligatur, periphrasin a recentioribus in vi hujus locutionis exprimenda usurpari. Nam parum usitatum est hodie ξένιον. Etsi vero aliud quippiam sonant φιλικὰ χαρίσματα, quam ξεινήϊα vel ξένια, quorum illa sunt munera, quibus se invicem amici donant, vel quae amicitiae jungenda causa praebentur, haec vero *hospitalia munera*, tamen brevitatis causa in translatione dixi *hospitalia munera*. Crusius non satis latine, sed ad sensum apte vertit: *ami-*

cabilia dona. — ἐγὼ νὰ σοῦ χαρίσω. Hic quoque νὰ cum Conj. futuri periphrasis est. Porro σοῦ pro σοὶ accipiendum. De reliquo χαρίζω pro χαρίζομαι recentioris aetatis est.

V. 24. στρέφω et τάσσω inferioris aevi significatum hic habent, ita ut alterum sit *reduco*, alterum *promitto*, cf. Corais, Ἄτακτ. II., p. 304. — πάλι pro πάλιν jam passim apud antiquos poetas legitur. — ὀμπρὸς pro ἔμπροσθεν ex analogia linguae antiquae a recentioribus usurpatur. Notum nimirum, quam saepe o et ε in antiquorum dialectis alternent. Vide Matth. Gr. Gr. Tom. I. pag. 49. ed. II. Significatio eadem est; quare Crusius non recte vertit *ulterius*. Sensus est: „reducam te in locum, ubi *antea* fuisti."

V. 25. τούτην i. e. ταύτην. — ποῦ cf. notata ad vers. 3. — θωρεῖς pro θεωρεῖς, forma contracta, qua saepe nunc vulgus utitur. Legitur et infra vers. 451 θωροῦσαν pro θεωροῦσαν. — τὴν κυριεύω nove dictum, quippe multa verba, quibus olim genitivus adjungi solebat, in citeriore graecitate cum Accusativo construuntur. Talia sunt δέομαι, quod vers. 1. sic usurpatum invenimus, κυριεύω et quod vers. sequenti exstat βασιλεύω.

V. 26. ὁποῦ 'νι ἐδῶ i. e. ὁποῦ ἔνι ἐδῶ. Quid judicandum sit de ἔνι, docuimus ad dialogi vers. 9. — ἐδῶ, quod transpositione litterarum natum videtur ex ὧδε, adverbium loci est, significans: *hic.* — In ὅλους τους salvo sensu abesse poterat τους, quod tamen scriptor noster addere solet post pluralem vocabuli ὅλος. Ita infra vers. 187 ὅλοι τους, ubi τους aegre transferri potest in alias linguas. Ratio autem, cur adjectum sit, admodum plana est. Nam quum τους possessiva potestate fungatur, ut τὰ σπίτια τους *domus ipsorum*, patet ὅλοι τους proprie esse omnes *ipsorum*, quod recte diceretur, si, qui *omnes*

nominantur, diversi essent ab iis, qui pronomine *ipse* indicantur. Quod quoniam contra accidit, manifestum est, in hac formula vitae communis negligentiam et de sermone incogitantiam cerni.

V. 27. Κράζουσι barbaro usu pro simplici ὀνομάζουσι. — νὰ 'πῶ pro νὰ εἰπῶ i. e. ἵνα εἴπω. Vid. ad vers. 22.

V. 28. ποιά 'νε pro ποία ἔνε i. e. τίς ἐστιν cf. adnot. ad vers. 17. — ἡ 'μητέρα i. e. ἡ μήτηρ. Ex accusativis recentiores persaepe formarunt nominativos v. c. ἡ ἐλπίδα, ἡ νύκτα (νύχτα) vel addito σ ὁ βασιλέας, ὁ πατέρας pro ἐλπίς, νύξ, βασιλεύς, πατήρ dicentes. Hujus nominum transfigurationis jam in veterum monumentis quaedam deprehenduntur vestigia. Notum est, jam in inscriptionibus legi τὴν μητέραν, τὴν θυγατέραν, τὸν ἄνδραν, quae a nominativis μητέρα, θυγατέρα, ἄνδρας fluxerunt. Cf. Boeckh. Corp. Inscript. Tom. I, 5. pag. 866. Porro constat Δήμητρα, ας veteres dixisse praeter Δημήτηρ. Proinde liquet, nihil hac in re ausos esse recentiores, quod analogiae graeci sermonis repugnet.

V. 29. Ὑγρασία pro Ὑγρασίαν.

V. 30. οἱ δύο i. e. *ambo*. Nam δύο praecedente articulo in inferiore graecitate ubique vertendum est *ambo*, similiter atque in Gallico sermone *les deux*. — In verbis μὲ ἄλλα τους παιδία jam perspicuum erit, quid sit τους ex iis, quae ad vers. 26. exposui.

V. 31. Ῥιδανὸν nomen truncatum pro Ἠριδανόν. — ἐγνωριστῆκαν accentu metri causa mutato pro ἐγνωρίστηκαν. Vulgus enim ἐγνωρίστηκαν vel ἐγνωριστήκανε vel ἐγνωρίσθηκαν dicit pro ἐγνωρίσθησαν, quod eruditi praeferunt. Constans autem analogia et in flectendis caeteris personis est, quarum prima singularis ἐγνωρίσθηκα et ἐγνωρίστηκα

pro *ἐγνωρίσθην* audit. Idem dicendum de *ἐσμιχτῆκαν* quod versu sequenti legitur. Hoc enim a verbo *σμίγω* derivatum pro *ἐσμίχτηκαν* vel *ἐσμίχθηκαν* i. e. *ἐσμίχθησαν* positum est.

V. 32. *ἐφιλεύτησαν* ex plebeja consuetudine pro *ἐφιλεύθησαν*. *φιλεύω* in citeriore Graecitate plerumque designat: *hospitaliter excipio*, hic rariore usu *amandi* significatum habet. — *τότες* vulgariter pro *τότε*. —

V. 34. *νὰ γενοῦμε'* accentu metri causa transposito pro *νὰ γένουμε'*, cujus loco eruditi dicunt *νὰ γένωμεν* vel *νὰ γείνωμεν*. Est autem *γένωμεν* Conjunctivus recentioris aoristi verbi *γίνομαι*, cujus aoristi indicativus in 1. pers. sing. est *ἔγεινα* vel *ἔγινα*. De particula *νὰ*, si cum Conjunctivo constructa est, futuri temporis indice jam ad versum 22. diximus.

V. 35. *φαίνεσαι videris*, forma primigenia, quae per omnem saeculorum seriem in vulgari sermone remansit. Cf. Buttmanni Grammat. amplior. Tom. I. pag. 354. adn. 8. — *τὴν θεωρία* pro *τὴν θεωρίαν*, quod nomen hic nihil nisi *aspectum*, ut plerumque apud nostrae memoriae Graecos, indicat.

V. 36. *ἀπὸ μορφιὰ* omisso *ν* finali pro *ἀπὸ μορφιάν*. Est autem *μορφιὰ* vel *μορφία forma*, *pulchritudo*; quam vocem truncatam esse, vix est, quod moneam. Ex *εὐμορφία* scilicet usitata quadam abjectione *τοῦ υ* post *ε* fecerunt Graeci *ἐμορφία*, (cf. vers. 124.) pariter atque *ρέμα* pro *ρεῦμα* dicunt; porro ex *ἐμορφία* ortum est *ὁμορφία*, (vid. adn. ad vers. 24.) denique ablata prima syllaba exstitit *μορφία*. Enimvero perinde esse liquet, utrum hic aliquis ponat *ἀπὸ μορφιὰ*, an *ἀπ' ὁμορφιὰ*, quam posteriorem scripturam praetulissem, si in textu inventa esset. — *βασιλεία* i. e. *βασιλείαν*.

V. 37.

V. 37. ἀποκρίθηκε vulgariter pro ἀπεκρίθη, cujus loco veteres adhibere solent ἀπεκρίνατο. Vide quae observavimus ad vers. 31. et paulo superius ad vers. 11. Caeterum constat, jam Phrynichum vituperasse ἀπεκρίθη eo sensu positum, quo dicendum erat ἀπεκρίνατο.

V. 38. ζητᾷς i. e. ζητεῖς. Etenim plurima verba in εω apud veteres desinentia in vulgari sermone terminationem αω accipiunt, ita tamen, ut persaepe altera terminatio aeque usitata sit. Hujus generis est quod infra vers. 104. legitur κατοικᾶτε et vers. 97. φοβᾶσαι.

V. 39—40. In his duobus versibus Zenus veterum exemplum sibi imitandum sumpsit Dativis utens, a quibus, si a paucis quibusdam loquendi formulis, velut θεῷ δόξα, ἐν ᾧ, πρὸς τούτοις aliisque recesseris, magno cum linguae detrimento plane se abstinent recentiores.

V. 41. ἂν θέλῃς i. e. εἰ θέλεις. Nam recentiores neglecto discrimine, quod veteres inter εἰ et ἐὰν sive ἂν esse voluerunt, semper nunc ἂν dicere solent, nisi quod nonnulli imitationi veterum studentes usu repugnante interdum εἰ adhibent. — εἰς θύμησι i. e. εἰς θύμησιν. Dicitur θύμησις vulgi more pro ἐνθύμησις, quod ipsum in plebejo sermone nihil nisi *memoria*, *recordatio* est. Similiter jam in septuagintavirali sive Alexandrina veteris testamenti translatione θύμημα pro ἐνθύμημα legitur.

V. 43. 'πῶ pro εἰπῶ. Vid. ad vers. 22. — ἄκουσε i. e. ἄκουσον. Vid. dicta ad vers. 18.

V. 45. μεγαλόψυχου metri causa pro μεγαλοψύχου. Vide quae diximus ad dialogi vers. 5. Locis ibi citatis nunc addo ex Anonymi poetae opusculo de Alexandri Magni rebus gestis Venetiis 1794 typis excuso pag. 1:

Σοφία τῶν Αἰγύπτιων ἦτον πολλὰ περίσσα
τὸν οὐρανὸν ἀρίθμησαν, καὶ τ' ἄστρα ἐμετρῆσαν,

ubi pro περίσσα et ἐμετρῆσαν exspectari debebat περισσὰ et ἐμέτρησαν. — εἶμαι i. e. εἰμί. — Ψωμοφάγος est nomen aptissimum, quo reddatur illud quod in archetypo est Τρωξάρτης. Etenim ψωμὶ vel ψωμίον nunc *panis* est apud Graecos, quamvis apud veteres in universum *frustulum, quod ori ingeritur* significaverit.

V. 46. ὁποῦ 'ν' τὸ γένει' i. e. ὁποῦ εἶναι τὸ γένειον. Caeterum si quis corrupta antiquae scripturae vestigia secutus hic scribere velit ὁπῶ pro ὁποῦ, non repugnabo, a quo Dorismo Zenum nostrum non abhorrere, mox videbimus. — Recentiores μακρὺς, μακρειὰ, μακρὺ pro μακρὸς, ὰ, ὸν dicere solent. —

V. 47. μω 'ν' pro μου εἶναι. Tam rarus hic Dorismus, quo μω pro μου dicitur, nunc in Graecia est, ut paucis tantummodo notus sit. — εὐγενικὸς idem valet quod antiquorum εὐγενής. — κράζουν i. e. κράζουσι. Cf. vers. 27.

V. 48. τὸν πλειὸν i. e. si formam spectas, τὸν πλείονα, si significatum, τὸν πλεῖστον. Cf. Ἀτάκτων Tom. I. pag. 52. et notata ad vers. 72. De καιρός vide quae dixi ad vers. 13. — κατάσπρη *albissima.* ἄσπρος in citeriore Graecitate vertitur *albus*, de qua voce disseruit Oeconomus libro περὶ τῆς γνησίας προφορᾶς τῆς ἑλληνικῆς γλώσσης pag. 601. seqq. Notandum vero, in adjectivis compositis non solum femininum a vulgo formari velut ἡ ἀμίμητη φύσις pro ἡ ἀμίμητος φύσις, cui generi adnumeranda sunt quae apud veteres leguntur feminina ἀπορθήτη, ἀθανάτη et alia, (recte defensa ab Hermanno adversus Elmslejum in adnot. ad Eurip. Med. vers. 897.) sed etiam η saepe in reliquis adjectivis per Ionismum pro α poni, verbi causa πικρὴ et μικρὴ pro πικρὰ et μικρά. Cf. Davidis Παραλληλισμὸν τῆς ἑλληνικῆς καὶ γραικικῆς γλώσσης σελ. 11.

V. 49. Λαρδοφάγου nomen continet vocabulum la-

tinum *laridum* sive *lardum*, quod hodie graece dicitur λαρδὶ vel λαρδίον. Priores Graeci et λάρδος usurparunt. Cf. Ducang. Gloss. med. et inf. gr. Tom. I. pag. 790. — ῥηγὸς *regis* latina vox. Neque solum ῥὴξ, sed etiam ῥήγας, τοῦ ῥήγα sic usurpatur. Vide locos a Ducangio l. l. Tom. II. pag. 1293 allatos. — ϑυγατέρα i. e. ϑυγάτηρ. Vide ad vers. 28.

V. 51. κ' εἰσὲ pro καὶ εἰς, i. e. καὶ ἐν. Cf. quae observavimus ad dialogi vers. 9. — καλύβη i. e. καλύβην. — ὄχι *non*, ortum ex antiquo οὐχί. De discrimine particularum negativarum ὄχι, δὲν et μὴ disseruit Rusiades in Pract. Gramm. der neuhellenischen Sprache Tom. II. pag. 244 seqq. — μ' ὀλίγον κόπον i. e. μὲ ὀλίγον κόπον. Cf. adnotata ad vers. 16.

V. 52. τροφαῖς Acc. pl. Cf. quae diximus ad vers. 3. — ὁποῦ 'νε i. e. ὁποῦ ἔνε. Vide adnotationem ad vers. 9 dialogi. Ex corrupto ὁπούνιε, quod Crusius habet, elici quoque ὁποῦ 'νι i. e. ὁποῦ ἔνι posset, sed ὁποῦ 'νιε ferri nullo modo potest, licet idem mendum saepius in hoc opusculo ab editoribus servatum sit.

V. 53. De καρύδια cf. quae observavimus ad vers. 6. — De μετὰ vide adnotationem ad vers. 16. — λεφτοκάρια hic vocantur quae antique sonant λεπτοκάρυα. Similiter Graeci nunc in vulgari sermone adhibent κόφτω pro κόπτω, πέφτω pro πίπτω, κλέφτης pro κλέπτης, ἑφτά pro ἑπτά, cujus rei et in inscriptionibus antiquis multa deprehenduntur vestigia.

V. 54. In recentiore lingua καλὸς semper accipitur pro *bono*, nunquam pro *pulchro*; *pulcher* enim appellatur ὡραῖος vel εὔμορφος. Cf. Corais Ἄτακτ. Tom. II. pag. 169.

V. 55. De voce τώρα vide adnot. ad dialogi vers. 3. — ἄλλα Accusativus pro Dativo. — περισσά neutr. pl. pro

adverbio, quod hic vertendum *satis superque*. Nam Crusius lapsus est, περισσά reddens *optimis*. Est igitur sensus: *nunc quoque aliis abunde impleo ventrem meum*. — τὴν κοιλιά μου pro τὴν κοιλίαν μου.

V. 56. ἐσὺ vulgariter pro σύ. — De πῶς νὰ ἔχῃς vide quae observavimus ad dialogi versum 1.

V. 57. ποῦ i. e. ὁποῦ hoc loco perinde est atque μ' ὅλον ὁποῦ *quum, quamvis*. Nostrae aetatis Graeci non amplius sic usurpant simplex ὁποῦ. — ὁμοιάζ' ἡ φύσι' μας pro ὁμοιάζει ἡ φύσις μας, in quibus verbis μας proprie est accusativus pluralis pronominis personalis primae personae, quae tamen forma et possessivo sensu ponitur. Cf. adnotationem ad vers. 7. — κανέναν quid sit, conjici jam potest ex iis, quae ad dialogi versum 2 de ἕνας, μία, ἕνα commentati sumus. Isti scilicet locutioni opponitur κανένας (κανεῖς), καμμία, κανένα vel κανέν, *nullus, nemo*, vel *quisquam* addita negatione e. c. διότι κανένας δὲν τὸ λέγει *nam nemo hoc dicit*, vel *non enim quisquam hoc dicit*. Carere quoque negantia potest illa enunciatio, qua continetur κανεῖς; tum vero contrarius exsistit sensus, ut, καμμίαν ἡμέραν θὰ ἔλθω, gallice: *Je viendrai quelque jour*. Inde patet, hoc κανεῖς respondere fere Italorum pronomini *alcuno*. Natum esse κανένας ex κἂν et ἕνας dubio vacat; qua de re legendus Coraes ad Ptochoprodr. pag. 110.

V. 58. ἡ ἐδική μου *mea*. Vid. supra ad vers. 20. — ὁμοιά 'νε pro ὁμοία ἔνε i. e. ὁμοία ἐστίν.

V. 59. κ' ἐκεῖ 'νε pro καὶ ἐκεῖ ἔνε (εἶνε).

V. 60. Verba ἐκ τοῦ νεροῦ τὰ βότανα γίνεται ἡ τροφή σου non bene sic redduntur a Crusio: *ex aqua herbae fiunt alimonium tuum*. Etsi enim per se nihil in hac interpretatione vituperandum est, tamen loquendi usus Zeno familiaris prorsus repugnat. Ac prius quidem ab ea stru-

ctura, qua substantivum pluraliter enunciatum cum verbo singulariter expresso jungitur, plane abhorret sermo plebejus, ita ut τὰ βότανα ad γίνεται referri nequeat. Deinde constat, illius aetatis scriptores praepositionem ἐκ barbare cum accusativo plerumque construxisse, quod sermonis vitium Graeci ad antiquam hac in re juncturam regressi, nunc evitant. Ejusdem loquendi generis infra exemplum est vers. 125; porro apud Theodorum Prodromum lib. I vers. 142 ἐκ τὸν Ἰαμβον, ubi Coraes similes locos affert. Quamobrem versus noster sic convertendus est: *ex aquae herbis fit alimonium tuum.* Quae licet ita se habeant, tamen non negaverim Zenum ejusque aequales inconstantes fuisse in usu hujus praepositionis. Nam infra versu 74 genitivus ei adjunctus legitur ἐκ τῆς Ἰνδιας; porro versu 76 ἐκ τοῦ πολέμου. Caeteroquin de voce τὸ βότανον ad vers. 258. egi. — Denique νερὸν, quod sicut νηρὸν et ναρὸν primitus adjectivum videtur fuisse, natum ex νάω *fluo* desisignansque idem quod ὑγρὸν, nunc apud Graecos semper in usu est pro ὕδωρ. Vide Auctorem Etymologici s. v. ναρόν, Hesychium sub eadem voce et ibi Albertum. Adde Salmas. ad Trebell. Poll. p. 311 (T. II. H. A. p. 303) ejusd. Exercitat. in C. J. Solini Polyhistora p. 777 b. et p. 916 a. et si vis p. 1298; porro Bod. a Stapel ad Theophrast. H. Pl. IV, 12 p. 484 sub fin. et 485 a. Cf. et Corais Ἀτακτ. T. IV pag. 349 et Meursii Glossar. Graecobarbarum s. h. v. denique Ducangii Glossar. med. et inf. Gr. Tom. I p. 991 seqq. et Gloss. med. et inf. Lat. in *Nero.*

V. 61. ἀπ' ὅσα plebejus sermo usurpat pro ὁπόσα vel potius pro ὁποῖα antiquae graecitatis. Hodie vero, quum ὁποιαδήποτε invaluerit, in paucis adhuc Graeciae provinciis auditur ἀπ' ὅσα vel ἀπόσα. Obiter moneo, in hac dictione, ut in multis aliis, litteram tenuem ante spiritum

asperum ideo nunc a Graecis servari, quod etiamsi signum asperi afflatus supersit, nullum tamen hodie inter utrumque spiritum discrimen reperitur, sive ut aliis verbis utar, quod neuter pronuntiatur. — *'βρίσκονται* per aphaeresin pro *εὑρίσκονται*. — *'ς τὰ σπίτια* pro *εἰς τὰ σπίτια* vel ut hodie plurimi scribunt *σπήτια* i. e. *ὁσπίτια*. Nam latina vox *hospitium* pro *quavis domo* jam media aetate a Graecis accipiebatur. Cf. Ducang. l. c. Tom. I p. 1060 s. v. *ὁσπίτιον*, ubi et *ὁσπήτιον* et *ὁσπείτιον* scriptum exstat. Idem Tom. II p. 1422 praeter *σπίτι* malam habet scripturam *σπίτη*, quam e mendosis membranis exscripsit.

V. 62. *θαῤῥετὰ* neutrum pluralis numeri adverbii locum occupans. Etenim vulgus semper fere dicit *καλὰ* pro *καλῶς*, *σοφὰ* pro *σοφῶς* et sexcenta alia. Cf. adnot. ad vers. 72. Est autem *θαῤῥετὸς* ortum ex *θαῤῥευτὸς*, quoniam in vulgi sermone *θαῤῥεύω* pro *θαῤῥέω* reperitur, a quo posteriore *θαῤῥητὸς* derivandum fuisse manifestum est. Caeterum sicut ex *θαῤῥευτὸς* fit *θαῤῥετὸς*, ita *ῥέμα* ex *ῥεῦμα*, *ἔμορφος* ex *εὔμορφος* in populari loquela nasci, ad vers. 36 adnotavimus. — *χωρὶς* perpetuo adhibet vulgus pro *ἄνευ*. De reliquo eruditiores tantum nostra memoria *χωρὶς* veterum exemplum imitantes cum genitivo construunt, plebs accusativum ei adjungit.

V. 63. *λανθάνει* antiquo significatu hic est; vulgo nunc *peccandi errandique* potestatem habet. — De *ψωμὶ* vide quae diximus ad versum 45. — *καλοζυμωμένο* omissa reduplicatione et littera *ν* finali est participium perf. pass. verbi popularis *καλοζυμόνω bene fermento*. —

V. 64. *ὄμορφον* ortum ex *ἔμορφον* i. e. *εὔμορφον*. Cf. quae notavimus ad vers. 24 et 36. — *λαλάγγιον*, pro quo falso olim hic legebatur *φαλάγγιον*, quid sibi velit, referam verbis Ad. Corais ad Ptochoprodr. lib. II vers. 417,

qui εἶδος, inquit, πλατύσματος ζυμηροῦ τηγανιστοῦ, ὅθεν ἐλέγετο καὶ παλαιὰ ὡς καὶ τὴν σήμερον τηγανίτης (Γαλλιστὶ beignet). Οἱ Σχολιασταὶ τοῦ Ἀριστοφάνους (Πλουτ. 138) ἐξηγοῦν τὰ ψαιστὰ τῶν παλαιῶν διὰ τοῦ Λαλάγγια· ἄλλοῦ δὲ πάλιν προσαρμόζουν τὄνομα τοῦτο εἰς τοὺς ΦΘοῖς ἢ ΦΘόϊς ἐκείνων. Ὁ Σουΐδας τὸ ἐξηγεῖ Κολλούριον, διότι σχηματίζονται πολλάκις καὶ ὡς κολλούρια· „Κολύρα εἶδος ἄρτου, ἢ ὁ μικρὸς ἄρτος, ὃν τοῖς παιδίοις διδόασι. Ἢ εἶδος πλακοῦντος. Καὶ Κολλυρίζω τὸ τὰς λαλάγγας τηγανίζω· καὶ ἐπιχωρίως, κολλούρια τὰ λαλάγγια." — μὲ μέλι γεναμένο. In his verbis praepositio μὲ, de qua dixi ad vers. 16, additur nomini materiae, ex qua aliquid fit, qui usus abhorret a sensu voculae μετὰ cum genitivo apud veteres conjunctae, qui sibi hoc tantummodo licere arbitrati sunt, ut de instrumento, quo quis in re quapiam gerenda utitur, frequentarent. Vid. Passov. lex. v. μετά et Matth. Gr. Gr. ed. II. §. 587. Aliam autem rationem esse, qua posita sit haec praepositio verss. 53 et 54, non est, quod demonstrem. Caeterum γεναμένο forma vulgaris est, hodie fere ignota, pro γενημένο, vel, ut veteres dicunt γεγενημένον.

V. 65. αὐγόπητα vocabulum compositum est ex αὐγὸν *ovum* et πῆτα *placenta* designatque placentarum genus, quod hodieque in Graecia conficiunt. Ex veteri nomine ὠὸν solita quadam mutatione, cujus jam meminimus ad vers. 8. exstitit αὐὸν additoque γ, quod post υ in diphthongis αυ et ευ a plebe inseri consuevit, prodiit αὐγόν. In compositis verbis utraque forma adhuc usitata est, quum et ἀυοτάραχον et αὐγοτάραχον promiscue dicatur. Simplex semper nunc αὐγὸν profertur. Praeter hanc locutionem alias permultas sermo plebejus continet, in quibus post digamma, vocali υ expressum, γ ponitur, velut καύγω i. e. καίω, γεύγομαι i. e. γεύομαι. Quin etiam γ mediis dictio-

nibus saepe inseritur, ubi non praecedit digamma. Hac ratione *πταίγω* pro *πταίω*, *κλαίγω* pro *κλαίω* dicitur. His similibusque exemplis, quibus abundat recentior lingua, evidens est, cognationem quandam esse inter gamma et digamma, de qua in Commentario ad Ptochoprodromum p. 63. seqq. Coraes disseruit nosque fusius aliquando disputare statuimus. Denique *πῆτα*, cujus loco nonnulli minus recte *πίττα* scribunt, femininum doricum videtur adjectivi verbalis a verbo *πηγνύναι* vel *πήττειν* deducti, id quod eo magis probabile est, quo major similitudo est vocum *μελίπηκτον* et *μελόπητα*, quarum prior apud veteres idem, quod posterior hodie significat. — In verbis *ἢ πολυσουσαμιάταις* prior vocula est nom. plur. fem. generis articuli pro *αἱ*. Istam autem formam etiam nunc vulgus amat et celebrat. — *πολυσουσαμιάτος* quid sit, vix opus est multis verbis declarari. Tenendum tantummodo, sesamum nunc ab infima plebe appellari *σουσάμι*, quod deminutivum esse omnes perspicient. Itaque ex *πολὺς*, *σουσάμι* et latina terminatione *atus* formatum est hoc vocabulum *πολυσουσαμιάτος*. Hanc latinam positionem, quam medio aevo Graeci in suam linguam transferre coeperunt, multis jam vocabulis a Theodoro Prodromo adhibitis adhaerere videmus, qualia sunt *ἀμυγδαλάτος*, *λαμπροπουκαμισάτος*, *μορφοπροσωπάτος*, *μαυροτριχαράτος*. Cf. Corais adnotationem ad Ptochoprodr. lib. I vers. 59 pag. 43 et ad Plutarchi. vol. II pag. 377.

V. 66. *ζακχαράτος* adjectivum deductum a *ζάκχαρι*, cujus loco antiqui *σάκχαρι*, *σάκχαρ* et *σάκχαρον* dicebant.

V. 67. *τυρὶ* vel *τυρίον* deminutivum est recentiorum more hic positum pro simplici *τυρός*, quod nunc obsoletum est. — *κάμινουν* i. e. *κάμινουσι*, ut adnotavimus ad vers. 3.

V. 68. *οὐδὲ μυζήθραις ἁπαλαῖς* *nec Laconici casei delicati*. Cf. Ducang. Gloss. med. et inf. graec. Tom. I

p. 922. Hoc nomen casei laconici acceperunt ab urbe quae in vicinia veteris Spartae sita est ac nunc vulgo ὁ Μιστρᾶς nuncupatur.

V. 69. γλυκύσματα hic sunt *bellaria* vel *cupediae*, quae a veteribus plerumque τραγήματα, τρωγάλια vel ἐπιδορπίσματα appellabantur. In antiqua lingua γλύκυσμα pro *dulcedine* semper usurpatur. — ὁπ' ὅλοι i. e. ὁποῦ ὅλοι; — ἀγαποῦσι i. e. ἀγαπῶσι. —

V. 71. φαγητὰ vel φαγιὰ apud recentiores sunt *edulia*. — βράζουν i. e. βράζουσι *coquunt*, qui significatus in citeriore tantum graecitate invenitur, siquidem in antiquo sermone βράζειν *fervere* et *ebullire* perpetuo notat. — τὸ τζουκάλι vel τσουκάλι *olla*, vox incertae originis. Observandum est, τζ vel τσ in dictionibus vel peregrinis vel corruptis reperiri. Quando Graeci non ab aliis mutuati sunt voces, in quibus junctae exstant hae duae consonae, velut τζαρλατάνος et τζερεμονία, quas Italis debent, sed quotiescunque suas ipsorum voces sic deturparunt, illud τζ vel e simplici κ, vel e σκ, vel e τ, vel e ξ, vel denique nonnunquam e σ natum esse accurata linguae pervestigatio monstrat. Sic τζίχλα dicunt pro κίχλα i. e. κίχλη *turdus*, τζυρίζω pro συρίζω, τζιτζυρίζω pro τιτυρίζω, τζώφλοιον pro ἐξώφλοιον, πετζίον pro πεσκίον i. e. πέσκος *pellis*, *corium*. Neque tamen negaverim, in paucis quibusdam vocabulis alternare ζ et τζ, exempli causa τζίντζιφον, quo pro ζίζιφον utitur vulgus. At in peregrinis locutionibus, quid sibi velit τζ quaerere nunc non vacat, quoniam Graeci varios peregrinarum linguarum sonos, quibus ipsi carent, hoc modo exprimentes diversissima quandoque miscuerunt. Est autem hoc argumentum ex iis, quod in tradendis pronuntiationis regulis uberius explanandum sit. Quare alibi de eo agemus.

V. 72. *κάνουσιν* idem sonat quod *κάμινουσιν*. — *κάλλια* neutrum pluralis numeri comparativi adverbii vicem explens. Notandum vero, a comparativis in *ων* exeuntibus in deteriore postremorum saeculorum graecitate manasse aliam formam ejusdem potestatis, cujus positio ος est, a plebe maxime amatam. Sic igitur *πλεῖος* pro *πλείων*, *μεῖζος* pro *μείζων*, *κάλλιος* pro *καλλίων* nove procuderunt Graeci. Fieri tamen potest, ut quaedam harum formarum in plebeja veterum lingua jam exstiterint. Cf. Cor. ad Prodr. lib. I p. 52. Imprimis autem memoratu dignum est, popularem loquendi rationem fere prorsus respuere adverbia in ως cadentia, pro quibus neutra plurativi numeri in usu sunt, quae antiquos, si a superlativis recesseris, quibus illa competunt, saepius quidem in carminibus, rarissime vero in pedestri oratione in adverbiorum locum suffecisse constat. Vid. Matth. Gr. Gr. §. 446 p. 833 ed. II. Pauca hujus generis exempla suppeditat Xenophon v. c. Anab. IV, 1, 12 *καὶ θαμινὰ παρήγγειλεν ὁ Ξενοφῶν ὑπομένειν, ὅτε οἱ πολέμιοι ἰσχυρῶς ἐπικέοιντο*, ubi *θαμινῶς* dicere licebat. Pariter Thucyd. lib. I cap. 6. *ἀποδείξειέ τις τὸ παλαιὸν Ἑλληνικὸν ὁμοιότροπα τῷ νῦν βαρβαρικῷ διαιτώμενον*, ubi dici poterat *ὁμοιοτρόπως*. Hodie igitur plebs *ἀμελημένα* pro *ἀμελῶς*, quod eruditorum est, usurpat, *δίκαια* pro *δικαίως*, *σπάνια* pro *σπανίως* et sexcenta alia hujusmodi dicit.

V. 73. *μέσα εἰς* recentiorum structura est, quae plerumque tantundem valet, quantum solum *εἰς* apud veteres. Nonnunquam ponitur pro *ἔσω*. Cf. Ducang. Gloss. med. et inf. gr. p. 909. — *βάνω pono*, vulgaris graecitatis dictio est. Cf. quae infra diximus ad vers. 268. — *ταῖς κάλλιαις μυρωδίαις* non bene vertit Crusius *meliores odores*. Dicendum erat *optimos odores* vel *optima odoramenta*. Etenim comparativus praecedente articulo in

plebeja lingua aequiparat antiquorum superlativum, cui adjunctus est articulus. Proinde verba Ζωροάστρης ἦν ὁ σοφώτατος τῶν Περσῶν sic in vulgi sermonem transferuntur Ζωροάστρης ἤτον ὁ σοφώτερος τῶν Περσῶν. Eodem modo Galli dicunt: *Zoroastre étoit le plus sage des Perses.* Pro μυρωδία plebs et μυρωδιά frequenter dicit.

V. 74. φέρνουν cum ν insitivo pro φέρουν i. e. φέρουσι. Hoc ν insitivum in magno verborum numero nunc reperitur. Quippe tritissimi usus in sermone vulgari sunt δένω pro δέω, παίρνω, quod ex ἐπαίρω manasse diximus ad dialogi vers. 10, φανερόνω pro φανερόω, quam analogiam nunc omnia verba similiter olim terminata sequuntur, γδέρνω pro ἐκδέρω et alia plurima. In transcursu moneo, notum illud antiquorum vocabulum φερνή testimonio esse, jam olim apud veteres verbum φέρνω exstitisse, quamquam H. Stephanus illud in Thesauro omisit, Passovius autem in lexico dubium esse ait. Cf, si vis, Coraem ad Heliod. p. 220 et ad Plutarch. Tom. II p. 401. — τῆς Ἰνδιας accentu propter metrum retracto pro Ἰνδίας. Vid. notata ad dialogi vers. 5. Quod apud Crusium est τῆς Ἰντια scripturae mendum videtur, nisi forte Zenus τῆς Ἰντιας scripsit. Sed barbarae hujus formae hodieque inusitatae neminem scio auctorem. — ἀρτυσίαις male redditur a Crusio *aromatibus*; ἀρτυσίαι enim *condimenta* sunt, quam potestatem huic locutioni tribuendam esse, haud difficile ad conjectandum fuit.

V. 75. ἔτυχα et ἔφυγα aoristi sunt vulgari terminatione instructi pro ἔτυχον et ἔφυγον. At vero ne veteribus quidem hujusmodi aoristos, quales sunt εἶπα, ἤνεγκα, ἔχεα, ἔκηα, ἔσσευα, et alios, qui apud scriptores Alexandrinos et potissimum in septuagintavirali veteris testamenti translatione exstant, ignotos fuisse, inter omnes constat.

Vid. Buttmanni grammat. amplior. Tom. I §. 96 adn. 9 pag. 416. Porro de praetermissione participii ὤν, quod post ἔτυχα veteris elegantiae studiosi hic forsitan desiderant, vide adn. ad vers. 179. — μου, quod positum est post ποτέ, scriptor noster pleonastice addit. Sic et infra vers. 200 ποτέ μου δὲν τοὺς ἄφινα. Refertur autem utrobique ad verba ἔφυγα et ἄφινα, ita ut haec loquendi ratio conferri queat cum gallica: moi je ne l'ai jamais fait.

V. 76. τὸν θάνατον 'ποῦ μέλεται νά 'λθῃ i. e. *mortem, quae timetur, ne veniat.* Paulo quidem insolentius dictum est μέλεται, sed licet hodie sic nemo loquatur, in tali poemate non sollicitandum.

V. 77. ποτές vulgariter pro ποτέ. — σκουτέλα vel, ut alii scribunt σκουτέλλα ipsa Latinorum vox est *scutella,* quae jam apud medii aevi scriptores pro vetere τρυβλίον non infrequens est. Cf. Ducang. Glossar. Tom. II pag. 1399.

V. 78. κείνους ἐσμίγομαι *illis immisceor*, ubi κείνους dativi vice fungitur, ut saepius vidimus. Aliud exemplum verbi ἐσμίγομαι, pro quo σμίγομαι Graeci semper nunc utuntur, affert Coraes Ἄτακτ. Tom. II pag. 309 s. v. ποῦ καὶ ποῦ ex Georgillae poemate, quod inscribitur τὸ θανατικὸν τῆς Ῥόδου. Verba sunt καὶ ἄλλην οὐκ ἐσμίγεται, quod de coitu intelligendum. In ἐσμίγομαι Coraes l. l. pag. 331 illud ε initiale barbare adjectum esse ait, idque recte. Etenim ut antiqui non habuerunt compositum ἐσμιγνύναι, ita nequaquam putandum est, in ἐσμίγω praepositionem ἐς reperiri. — ὅσοι 'νι ἐς τὴ' i. e. ὅσοι ἔνι ἐς τὴν. — 'μπροστέλλα i. e. ἐμπροστέλλα etymon habens ab ἔμπροσθεν, *primus pugnantium ordo* est. Cur Crusius hic, ubi de muribus agitur, *primum equestrem ordinem* esse voluerit, ipse profecto viderit. Aliud rarae hujus locutionis exemplum depromam ex Ἄτακτ. Tom. II p. 121, quod haustum

est ex Georgillae poemate hunc titulum gerente: Ἱστορικὴ ἐξήγησις περὶ Βελισαρίου. Locus hic est:

ἡ ἐμπροστέλλα τῶν Περσῶν σαράντα χιλιάδες
καὶ οἱ Ῥωμαῖοι τρέχουσιν ὡς γύπες εἰς τὸ βρῶμα,

ad quem explanandum Coraes haec scripsit: Δὲν εἶναι σαφὲς, ἂν Ἐμπροστέλλαν νοῇ κυρίως τὸ μέτωπον τῆς παρατάξεως, τὴν πρώτην ἀράδαν (la première ligne) ἢ ἐξαιρέτως τὸ ἱππικὸν (la cavalerie) συνεκδοχικῶς, ἢ μᾶλλον καταχρηστικῶς, ἀπὸ τὸν στηθιστῆρα (poitrail) τῶν ἵππων, τὸν ὁποῖον συνηθέστερον ὠνόμαζαν Ἀντελήναν καὶ ἐμπροσθελήναν (Ἰδ. Ἀτακτ. I σελ. 43).

V. 79. νὰ σοῦ 'πῶ περσότερο i. e. νὰ σοῦ εἰπῶ περισσότερον *ut tibi plura dicam.* Similem syncopen patitur περιπατῶ, cujus loco nunc a plebe celebratur περπατῶ, quod in hoc quoque carmine legitur infra vers. 452. Sed quamvis significatus hujus περσότερο ab antiquo admodum discrepet, est tamen in usu antiqui περιττός quod huc trahi possit, velut quum numeris additur. Quum enim τεσσαράκοντα περιττά *quadraginta amplius* interpretandum sit, evidens est, quomodo hinc novitia significatio oriri potuerit.

V. 81. εἰς τὸ στρῶμά του i. e. εἰς τὸ στρῶμα αὐτοῦ. Cf. adn. ad Dialogi vers. 2.

V. 82. δαγκάνω recentior forma pro δάκνω. — τὸ δάκτυλο i. e. δάκτυλον, de quo Theocharopulus in Ὀνομαστικῷ τετραγλώσσῳ (Monachiae 1834 edito) pag. 732 οὐδετέρως, inquit, συνειθίζεται σήμερον τὸ δάκτυλον ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ ὁ δάκτυλος. — ἀνανοᾶται *animadvertit,* mutata forma et potestate, si cum antiqua lingua comparatur. Cf. adn. ad vers. 38.

V. 83. φτέρνα vulgariter pro πτέρνα. Cf. quae observavimus ad vers. 53. — τίποτες δὲν τὸ χρήζει, quae verba Crusius male reddidit: *haud unquam id curat,* sic potius

vertenda sunt: *nequaquam id curat* vel ad litteram *nihil id curat*. De *τίποτες* diximus ad Dialogi vers. 1.

V. 84. *ἀμὴ sed*, novitia vocula, quam compositam esse notant grammatici ex *ἄν* et *μή*, ita ut mutata potestate ex conditionali particula in adversativam transierit. — *νόστιμα* rursus neutr. plur. pro adverbio, cujus rei plura jam exempla vidimus. — *ῥοχαλίζω* vel *ῥογχαλίζω* apud recentiores idem valet, quod in antiquo sermone *ῥέγκω*, *ῥέγχω* vel quod Hesychius laudat *ῥογχάζω*. Recentiores praeterea dicunt *ῥουχάζω* et *ῥουχαλίζω*, a quibus tamen formis eruditi abstinent.

V. 85. *'βρίσκονται* per aphaeresin pro *εὑρίσκονται*.

V. 86. *τὸν γάτον*. Vid. de hoc vocabulo adn. ad vers. 14. — *τὸν γέρακα* vulgariter pro *ἱέρακα*. Nunc plerumque *τὸ γεράκι* dicunt, quod jam legitur ap. Annam Comnen. lib. 2 Alexiad. p. 51 in his versibus:

τὸ σάββατον τῆς τυρινῆς, χαρῆς 'Αλέξιε, ἐνόησές το
καὶ τὴν δευτέραν τὸ πρωΐ ὑπάϊ καλῶς τὸ γεράκιν μου

Ita scilicet emendandum cum Oeconomo lib. *περὶ προφ.* p. 516 id quod in textu erat *εἶπα καλῶς κ. τ. λ.* Est enim *ὑπάϊ* perinde ac si dixerit *ὑπάγει*. In *γεράκιν* autem pro *γεράκι* antiquiorum mos servatus est dicentium *κλειδίν*, *κορμίν* et alia in populari sermone pro *κλειδίον*, *κορμίον*, quorum loco hodie *κλειδί* et *κορμί* magis in usu sunt, qua de re disseruimus ad versum 6. — De *περίσσια* vide adn. ad v. 72. Caeteroqui et Ducangius Tom. I p. 1154 vocem *περίσσιος* pro *περισσός* laudat, quam tamen male scribit *περίσιος*. — *τρομάσσω* rarior forma pro *τρομάζω*. Ita videlicet nunc pro *τρομέω* antiquorum dici consuevit. Differt tamen *τρομάζω* in eo a *τρομέω*, quod non modo *timendi* et *contremiscendi*, sed etiam *terrendi* notionem habet. De reliquo quum recentiores Graeci *σσ* in *ζ* mutent, *τρομάζω*

pro τρομάσσω, προστάζω pro προστάσσω et similia dicentes, Aeolum exemplum sequuntur. Cf. Gregor. Corinth. p. 613 ed. Schaefer.

V. 87. ξυλόγατα metri causa pro ξυλογάτα. Sic et infra vers. 206. Designat autem ξυλογάτα, quae locutio ex ξύλον et γάτα constat, *muscipulam*. — De ὅλοι μας cf. quae adnotavimus ad vers. 26. — μισοῦμε vulgariter pro μισοῦμεν. —

V. 88. μὲ δόλον explicatur superioribus ad verss. 16 et 64 adnotationibus. — δίδω pro δίδωμι jam passim in medii aevi monumentis exstat. Cf. Ducang. Gloss. Tom. I p. 306.

V. 89. De ἰδῶ dixi ad vers. 22. — 'που i. e. ὅ που. — γροικήσω Conj. aor. a praes. γροικῶ deducendus, pro quo vulgo male γρυκῶ vel γρηκῶ scribunt. De miro hoc vocabulo liceat Corais opinionem, quam Ἄτακτ. Tom. II p. 95 reperimus, servatis ipsius verbis hic apponere. Ait ille: γρικῶ (entendre), ἔλεγαν καὶ ἐγρικῶ, ἀκόμη καὶ ἀγροικῶ καὶ γρυκῶ καὶ γροικῶ. Μόνη ὀρθὴ γραφὴ εἶναι ἡ διὰ διφθόγγου καὶ χωρὶς τὸ ᾱ (γροικῶ)· διότι τὸ χυδαϊκὸν ἐξάμβλωμα τοῦτο παράγεται ἀπὸ τὸ ἄγροικος (rustre) σύνθετον ὄνομα ἀπὸ τὸ ἀγρὸς καὶ οἰκῶ. Ἡ χυδαιότης, ἀκούουσα τὸ ἀγροικίζομαι, ἐνόμισε τὸ ᾱ στερητικὸν καὶ ἀκολούθως ἐσυμπέρανε ὅτι τὸ χωρὶς τῆς στερήσεως γροικίζω, γροικίζομαι, γροικῶ, ἔπρεπε νὰ σημαίνῃ ἐναντίον τι τοῦ ἀγροικίζομαι, ἤγουν νοῶ, καταλαμβάνω. Εἰς τὸν Ἀθήναιον (IX σελ. 382) λέγει τις πρὸς τὸν προσδιαλεγόμενον ἀσαφῶς· „Οὐ μανθάνω τούτων σὐδέν· — ἀγροικότερός εἰμι, ὥσθ' ἁπλῶς μοι διαλέγου."

V. 90. ἀπὸ τὸν φόβον μ' ὄρχομαι i. e. ἀπὸ τὸν φόβον μου ἔρχομαι. Ex vulgi consuetudine hic ὄρχομαι pro ἔρχομαι dictum est, cujus formae et Ducangius I, p. 1060 exemplum affert ex Joanne Glyca De vanitate vitae. Cf.

praeterea adnot. ad vers. 24. Nostro loco ἔρχομαι eam habet sententiam, quae sub composito verbo ἀπέρχομαι subjici solet, id quod longe rarius in recentium, quam veterum Graecorum sermone fit. Plebs autem antiquae linguae expers hanc verbi usurpationem fere ignorat. Crusium, qui vertit *prae metu eo venio,* toto coelo errasse, vel non asseveranti nemo erit, quin mihi credat. — ξεψυχῶ *exspiro, animam efflo, exanimor* in populari graecitate usurpatur prŏ antiquo ἐκψύχω.

V. 91. γλυτόνειν in vulgari lingua valet *aufugere, evadere*; (cf. quae dixi ad versum 14) interdum et *liberandi* significatum habet, quem primitivum fuisse etymon hujus verbi indicat. Derivatum enim est ab ἔκλυτος, adjectivo verbali verbi ἐκλύειν, cujus vim, si non totam, ex parte tamen nova vox accepit. Ex eodem fonte fluxit γλύω, quod infra vers. 143 legitur. Vide Corais Ἀτ. Tom. II p. 92.

V. 92. νά 'βρω, pro quo et νὰ βρῶ plebs adhibet, idem sonat quod νὰ εὕρω, ex quo consueta quadam aphaeresi natum est. — 'κεῖ i. e. ἐκεῖ. — Κοντά *juxta, prope, in vicinia*, vocula fortasse Italicae originis, quam tamen miror Coraem cognatam putasse cum veterum substantivo κοντός, a quo in citeriore Graecitate adjectivum κοντός, ή, όν *brevis, parvus* manavit. Cf. Ἀτακτ. Tom. II p. 196. — σώσω conj. aor. verbi σόνω ab antiquo σόω deducendi. Est autem in barbara graecitate σόνω non solum *servo, e periculo eripio,* sed etiam *subvenio, attingo, advenio, invado,* porro *satis sum, sufficio,* denique *finio* et *desino.* De reliquo praesens σώζω retenta antiqua significatione etiam nunc exstat. — τρουπώσω pariter conj. aor. verbi recentioris τρουπόνω i. e. *defigo, figo,* praeterea *me abdo in foramen.* Tenendum enim est, pro τρῦπα in populari ser-

sermone et τροῦπα dici. Itaque Crusius hic sensum tantum, non ipsum verbum reddidit, interpretans *evadam.*

V. 94. κορμί vel κορμίον diminutivum nominis κορμός, cujus loco Aeoles apud veteres κορπός dicebant. Quod quum in antiqua lingua praeter *caudicem* et *stipitem* etiam *truncum,* imprimis corporis notaverit, non mirum est, quod κορμί nunc semper pro *corpore* accipitur. Cf. locos ex vetustioribus scriptoribus allatos apud Ducang. Gloss. med. et inf. Gr. Tom. I pag. 715, ubi et haec Eustathii verba ad rem illustrandam aptissima memorat: τὸ ἀπὸ τραχήλου μέχρις αἰδοίων κύτος τοῦ σώματος δίχα τῶν χειρῶν, ὃ καὶ θώρακά τινες καλοῦσιν, ἕτεροι δὲ κορμὸν, ἰδιωτικῶς. — τὰ νύχια i. e. τὰ ὀνύχια, τοὺς ὄνυχας. Vid. notata ad Dialogi vers. 3. — της i. e. αὐτῆς. — 'μπήξῃ per aphaeresin pro ἐμπήξῃ, quod formatum est a praesenti ἐμπήγω vel ἐμπήχνω. Ita videlicet hodie pro antiquo ἐμπήγνυμι dicere consueverunt Graeci.

V. 95. αὐτὰ demonstrativa vi pro ταῦτα, ut jam hic illic in veterum libris. Vide Hermanni dissertationem de pronomine αὐτὸς in Opusc. Vol. I pag. 316 et Heindorf ad Platonis Lys. pag. 4. — 'βρίσκονται i. e. εὑρίσκονται. — κάμπος *campus, planities,* vox latina, de qua fuse egit Ducangius in Glossar. med. et inf. Graec. Tom. I pag. 566 seqq. Adde, si volupe est, Cor. 'Ατ. II p. 177.

V. 96. ἐχθροὶ vel genitivum vel dativum in antiqua graecitate exigit; itaque quando accusativus, qui re vera ab hoc vocabulo alienus est, tamen, ut hic per pronomen ἐμένα fit, ei adjungitur, dativi vicarius sit necesse est.

V. 97. μά *sed, verum,* ἀλλὰ, nihil est nisi Italica particula *ma,* quae nunc quoque in plebis ore versatur. — De φοβᾶσαι vide quae adnotavimus ad verss. 35 et 38.

V. 98. συρνόμενα sunt *reptilia,* quod nomen de-

scendit a verbo σύρνω i. e. σύρω apud antiquos. Neque tamen plane aequiparat recentior dictio veterem, sed σύρνω in passivo etiam *se trahendi* ac *repcndi* sensum habet. — πετούμενα vel πετώμενα sunt *volucria*. Posterior forma legitur apud Damascenum Studitam in Μερικῇ Διαγνώσει ἐκ τῶν παλαιῶν φιλοσόφων περὶ φύσεως καὶ ἰδιωμάτων τινῶν ζώων (Venetiis 1682 excusa) pag. 1. Patet autem, in πετούμενα vulgarem depravationem cerni. Cf. adnot. ad dialogi vers. 1. Notum jam veteribus fuit πετᾶσθαι pro πέτεσθαι; recentiores etiam activo πετῶ utuntur. —

V. 99. κι ὡσὰν i. e. καὶ ὡσάν. De ὡσὰν dixi ad vers. 12. — παροιμιὰ vulgariter pro παροιμία. — ἴσκιος novitium vocabulum, ex σκιά formatum cujus exempla quaedam e vetustioribus scriptoribus citata vide ap. Ducang. Tom. I pag. 522.

V. 100. σκληρή per Ionismum pro σκληρά ex vulgi consuetudine, de qua locutus sum supra ad vers. 48. — δείχνω infimae graecitatis est pro vetere δείκνυμι vel δεικνύω. Differt tamen in eo hoc novum vocabulum ab antiquis illis, quod non modo transitivum, sed etiam intransitivum est. Quum intransitivum est, verti debet *se ostendere, apparere, videri*, velut infra vers. 229. De analogia hujus verbi cf. praeterea adn. ad v. 372. — κάτις *aliquis*, rarum vulgaris linguae pronomen, ortum ex κἄν et τις. Simile exemplum allegat Coraes Ἀτ. II p. 310.

V. 102. κραμπιὰ pluralis nominis κραμπὶ vel κραμπίον, quo vulgaris lingua pro κράμβη (*brassica*) saepe utitur. — ῥαπάνι vel ῥαπάνιον vel ῥάπανον vel denique ῥαπανίδα, ἡ hodie appellatur, quod antiquis fuit ῥαφάνη vel ῥαφανίς vel ῥάφανος *raphanus*. Videsis Ducang. Gloss. m. et inf. Gr. Tom. II pag. 1283.

V. 103. αὐτάνα cum syllaba paragogica, quam vul-

gus in hoc pronomine amat, perinde est atque αὐτά. Lege Davidis παραλλ. τῆς ἑλλ. κ. γρ. γλ. σελ. 25.

ἐσεῖς vel σεῖς vulgi more pro antiquo ὑμεῖς nunc usurpatur. Neque solum plebs, sed etiam plurimi eruditorum has formas adhibent atque adeo in scribendo frequentant. Sed mirum mihi videtur, quod Rusiades in neuhellenische Grammatik p. 212 formas ἐσεῖς, ἐσᾶς, ἐμᾶς et ἐσὲ pro antiquis ὑμεῖς, ὑμᾶς, ἡμᾶς et σέ, quibus et vetustiores scriptores et Oeconomus, Coraes, Cumas aliique, qui nostra memoria vivunt aut nuper decesserunt, non gravati sunt uti, tanquam inusitatas damnat ac pro iis ὑσεῖς, ὑσᾶς, ἡμᾶς, ἠσένα a plebe adhiberi contendit. Etenim certissimum est, omnes hasce formas in sermone plebejo reperiri. Cf. Darvaris Γραμμιατ. ἁπλοελλ. σελ. 88. De reliquo σεῖς natum est ex veterum σφεῖς ejecta littera φ. Cf. Darvar. l. l. pag. 89.

V. 104. στέκεστεν vel στέκεστε forma vulgaris pro στέκεσθε 2 pl. praes. Ind. verbi στέκομαι, cujus loco et στέκω dicitur, ut jam observavimus ad Dialogi vers. 4. — μέσα idem hic sonat quod μέσα εἰς, de quo egimus ad vers. 73. — De κατοικᾶτε cf. adnot. ad vers. 38.

V. 105. ἤθι pro ἤθιον deminutivum barbarum vocabuli ἦθος. Notum est, veteres non finxisse deminutiva neutrorum tertiae declinationis in ος desinentium; neque hodie sic loquuntur Graeci. Quare dudum hic correxissem μὲ σ' ὄμορφά του ἤθη, qua emendatione et finalis versuum concentus servaretur, nisi usurpatio pluralis hujus nominis quodammodo obstaret. Namque singularis vocis ἦθος in inferiore graecitate pro eo ponitur, quod Latinis est *modus* vel *ratio*, Gallis *manière*, quae locutio graecae imprimis respondet, pluralis autem *mores* praecipue designat. Similem nostro locum habet Ducangius in Glossarii Tom. I p. 474:

σκληρὰ τοὺς ἀποκρίψηκε μὲ ἀγριωμένον ἦθος

ex Anonym. de Nuptiis Thesei lib. 3 depromtum, ubi non licebat dici ἦθη. Itaque nostro loco barbarismum, cujus praeter Demetrium Zenum neminem scio auctorem, intactum reliqui. Idem infra versu 440 deminutivum barbarum βέλι habet a βέλος deductum. Quae Crusius in interpretatione hic posuit: *subridens quodam gestu pulchro,* in his participium *subridens* delendum est, utpote non dictum a Zeno, licet in archetypo inveniatur μειδήσας, reliqua sensum quidem, non tamen verba reddunt. Quamobrem magis ad litteram sic verte: *Physignathus pulchro ipsius modo* h. e. *pulchro modo ipsius proprio et peculiari Psicharpagem aspexit.*

V. 106. λέγοντας nom. sing. part. praes. act. pro λέγων, quam formam ex accus. sing. addito ς factam esse, non dubium est. Cf. adnot. ad vers. 28. Ita nunc quoque vulgus ὄντας, τιμῶντας vel τιμοῦντας, γράφοντας pro ὤν, τιμῶν, γράφων dicit. Sed priore tempore Graeci saepe non addebant ς, cujus rei exemplum praebet Stephanus Sachleces in poemate, quod inscribitur Γραφαὶ καὶ ςίχοι καὶ ἑρμηνεῖαι, ἔτι καὶ ἀφηγήσεις κυροῦ Στεφάνου τοῦ Σαχλήκη. Verba ejus, quae Coraes quoque laudat Ἀτ. τομ. β' Προλεγ. σελ. ϟ', sic se habent:

Σιμόνει φυλακάτορας, τάχα τε πρὸς ἐμένα,
Καὶ λέγει, ἐγὼ τοὺς ἔφερα νὰ σὲ παρηγορήσουν,
Πιστεύοντα νὰ μέ καμε πολλὰ μεγάλην χάριν

ubi πιστεύοντα pro πιστεύων accipiendum esse, ob loci naturam manifestum est. Pariter noster vers. 347. βλέποντα scripsit.

V. 107. De καυχᾶσαι cf. quae notavimus ad v. 35.

V. 108. πῶς ex plebis consuetudine pro ὅτι; proinde Crusius non bene vertit *quomodo.* Melius sic inter-

preteris: *dulcibus rebus te replere ventrem tuum.* — νοστιμόγλυκος adjectivum compositum ex νόστιμος et γλυκός. Etenim plebs γλυκός pro γλυκύς dicere solet.

V. 109. ἐμᾶς i. e. ἡμᾶς, sed εἰς ἐμᾶς hic eo sensu dictum est, quo apud antiquos παῤ ἡμῖν. — De φαγιᾶ, cujus sing. est τὸ φαγί, vid. notata ad vers. 71.

V. 110. De voce νερὸν locutus sum ad vers. 60.

V. 111. Recentiores plerumque διπλός, ή, όν, quod in vetere lingua poëticum est, pro διπλοῦς usurpant. — μιᾶς pro ἡμιᾶς i. e. ἡμῖν, siquidem hic quoque Accusativus Dativi vice fungitur. — χαιρωμιάστε metri causa pro χαιρώμιαστε, quod perinde atque χαιρούμιαστε in vulgi sermone ponitur pro χαιρώμεθα et χαιρόμεθα. Nam in deteriore Graecitate praesens non est χαίρω, sed χαίρομαι.

V. 112. Pro κρύπτω in vulgari sermone fere semper κρύβω vel κρύβγω adhibetur. Caeteroqui de forma κρυβωμιάστε idem judicandum, quod de ea, quam modo explicuimus.

V. 113. 'που i. e. ὅπου. — κατοικοῦμιε vulgariter pro κατοικοῦμιεν. —

V. 114. νά 'λθῃς i. e. νὰ ἔλθῃς. — ἀντάμια vel ἐντάμια compositum ex ἐν τῷ ἅμια in inferiore graecitate valet: *una, simul.* — ἐμποῦμιε vel ἐμποῦμιεν, cujus loco et ἐμπῶμεν scribi poterat, est 1 pers. pl. Conj. aor. verbi vulgaris ἐμπαίνω vel μπαίνω, pro quo eruditi dicunt ἐμβαίνω, qui ideo pro ἐμποῦμιεν perpetuo ἐμβῶμιεν usurpant.

V. 115. ἀναίβα imper. aor. verbi vulgaris ἀναιβαίνω, pro quo eruditi adhibent ἀναβαίνω veteris linguae consuetudinem sequentes. — ῥάχι i. e. ῥάχιν. — νὰ σ' ἐμπάσω explicui ad vers. 22.

V. 116. ἀλήθεια *veruntamen* hac notione non amplius in usu est. — σφικτά, antique σφιγκτῶς. — χάζω

apud nostrae memoriae Graecos significat: *perdo, amitto, jacturam alicujus rei facio;* passivum saepe reddi potest *pereo.* Exempla quaedam ex vetustioribus poetis Barbarograecis protulit Ducangius Tom. II p. 1723. Cf. infra verss. 254, 177.

V. 117. σὰν pro ὡσὰν hic temporale est *ut, ubi, postquam.* Cf. quae observavimus superius ad vers. 12. — θέλεις χαρῆ *gaudebis.* In his verbis χαρῆ, cujus loco nonnulli χαρῆν et hodie scribunt et olim scripserunt, nihil est nisi Infinitivus Doricus aoristi passivi pro χαρῆναι. Vide Koen. ad Gregor. Corinth. p. 310. ed. Schaefer et Coraem ad Ptochopr. p. 158 seqq. — De περίσσια dixi ad vers. 86.

V. 118. τό 'βγα per aphaeresin pro τὸ ἔβγα *exitus,* vocabulum ab ἐβγαίνω *exeo* descendens, quod ipsum depravatione vulgi propria natum est ex antiquo ἐκβαίνω. Exstat haec vox in Carmin. popular. Tom. II p. 162. ed. Fauriel. — De voce ἔμορφα egi ad vers. 36. — κανίσκιον hoc loco non designat *canistrum,* sed *sportulam, honorarium, donum,* de qua notione a recentioribus huic nomini tributa copiose disputavit Ducangius in Glossar. Tom. I pag. 575.

V. 119. ἔπαψε vulgi more pro ἔπαυσε. Similiter ἔκαψα, ἐμίσεψα et alia ejusdem analogiae apud indoctos hodieque in usu sunt. Docti scilicet homines ab his formis abstinent. — τοῦ i. e. αὐτοῦ, genitivus pro dativo αὐτῷ. — γυρίζω novitium verbum hic valet *obverto.* De aliis ejus significationibus vide Ducang. Tom. I p. 270 et praecipue Coraem fuse de hoc verbo disserentem Ἀταχτ. Tom. II pag. 97 — 99.

V. 120. κι ὁ i. e. καὶ ὁ. — ἀπάνου vel paulo elegantius ἀπάνω in citeriore graecitate praepositio et adverbium est ac plerumque reddi potest dictionibus *super,*

supra, superius. Varia tamen ejus vocabuli vis est. Vide Dehèquii Dict. Gr. mod. franc. s. h. v. Etymon habet ab antiquo ἐπάνω nota vocalium α et ε alternatione, de qua disseruit Matthiaeus Gramm. Gr. pag. 44 ed. 2.

V. 121. ἀπόκοτα vel ut alii scribunt ἀπόκοττα *audacter.* ἀπόκοτος recentioribus Graecis est *temerarius, audax, procax, petulans, animosus, confidens,* cujus nominis varias derivationes tentavit Coraes ad Heliodor. Μερ. β' σελ. 147, porro ad Ptochoprodr. pag. 305 denique Ἀταχτ. Tom. II pag. 60 seqq. Mihi unice ea probatur originatio, quae et ipsi omnium maxime placuit, qua deducitur a κότος, quo nomine Graeci media aetate *talum* appellabant. Inde fluxit κοττίζω et addita praepositione ἀποκοττίζω *talis* seu *tesseris ludo.* Proinde ἀπόκοττος primitus videtur nominatus, qui rem aleae plenam suscipit atque idcirco temeritatis notam effugere non potest. — τὰ χέρια sunt *manus* in citeriore Graecitate. Nom. sing. est τὸ χέρι, deminutivum antiquae locutionis χείρ. Cf. notata ad vers. 6. — ἁπλόνω *explico, expando, extendo* h. l. intransitive *extendo me* cum ν insitivo, de quo commentati sumus ad vers. 74. Ejusdem videlicet notionis est atque illud, quod apud veteres legitur, ἁπλόω. Vide Anthologiam Palatinam p. 677. ed. Jacobs.

V. 122. ἀρχίνησε *coepit.* Vid. adnotationem ad vers. 1. — ζαρόνω jam apud medii aevi scriptores valet: *rugas duco, corrugo* atque omnino *contraho,* συνάγω, συστέλλω. Cf. Ducang. Gloss. p. 459. Natales hujus vocis sic videntur sese habere. Quum σαίρω et σαρόω in vetere lingua communem habeant *verrendi et scopis purgandi* notionem, neque dubium videatur, quin posterius a priore derivandum sit, fieri potest, ut σαρόω illum quoque habuerit significatum, quem vulgo soli σαίρω tribuimus, quo est

ore hio, os ridendi causa diduco. Quod quum quis facit, complicat quasi atque, si ita loqui licet, corrugat ea parte faciem. Si igitur vera est haec conjectura, facile intelligitur, cur ξαρόνω a σαρόω originem trahens illam, quam memoravi, potestatem habeat. Similis fere Corais sententia est Ἀτακτ. Tom. I p. 213, qui tamen paulo aliter rem tractavit.

V. 123. εὐφραίνετον pro εὐφραίνετο. Barbare hic adjectum est *ν*, quod vetustiores et tertiis personis sing. Imp. Act. adjiciunt, velut Ptochoprodromus, qui lib. I v. 68 καὶ φόρειν habet, quod accipiendum est pro καὶ ἐφόρει. Cf. Corais observationem ad istum locum. Vide et quae supra exposuimus ad vers. 13. — ϑώρειε 3 pers. sing. Imp. Ind. Act. verbi ϑωρῶ apud vulgum usitati pro ϑεωρῶ. Notandum vero ϑώρειε proprie nihil esse, nisi formam non contractam ϑώρεε, cujus penultima syllaba ob synizesin in ει mutata est. De synizeseos usu commentatus sum ad Dialogi vers. 1. Cf. praeterea de hac forma Davidis Méthode pour étudier la langue gr. mod. pag. 46.

V. 124. κολυμπῶ *nato,* verbum plebejum, pro quo eruditi antiquorum more κολυμβῶ adhibere solent. — De forma ἀπόρειε idem judicandum, quod de ϑώρειε modo diximus.

V. 125. De junctura ἐκ τὴν γῆν dixi ad vers. 60. — ξεμακραίνειν, quod Crusius barbare vertit *elongari* (s'éloigner) transitive et intransitive dicitur, ita ut vel *removere*, vel *removeri,* et *longius recedere* verti queat. Constat hoc verbum e praepositione ἐξ, sed inverso litterarum ordine, ita ut ξε sonet, et recentiore vocabulo μακραίνειν. Pariter Graeci dicunt ξεκαρδίζω *animum alicujus frango, consterno aliquem*, ξεκλειδόνω *clave aperio, recludo, resero*, ξεκολλῶ *deglutino* et multa alia, in quibus ξε pro ἐξ reperitur. At interdum solum ξ ut signum hujus prae-

positionis ponitur, maxime ante praepositionem ἀνά, verbi causa in ξαναβλέπω *iterum video*, ξαναγράφω *rescribo*, ξαναγυρίζω *redeo*.

V. 126. νὰ ἐμπαίνουν vel ἐμβαίνουν 3 pers. pl. Praes. Conj. pro antiquo ἐμβαίνωσι. Cf. adn. ad vers. 114.

V. 127. ἔρχονταν forma vulgaris 3 pers. pl. Imp. verbi ἔρχομαι, pro qua vulgus praeterea ἔρχουνταν et ἐρχούντανε, docti homines ἔρχοντο vel ἤρχοντο usurpant. — μαῦρος *niger* jam in medii aevi monumentis hac significatione exstat. Adi Ducang. Gloss. pag. 890. Etymon habet ab antiquo μαυρός, licet non idem remanserit vocabuli intellectus. Praeterea hoc nomen ex paucis illis est, in quibus accentus sedem citerior Graecitas mutavit. De vocabulis μαυρός et ἀμαυρός vide quae nuper disputavit Lucas in Quaest. Lexilog. lib. I p. 94 seqq. — ἐκουκουλόναν 3 pers. pl. imp. act. verbi κουκουλόνω. Sic semper recentiores ἔλεγαν, ἔγραφαν pro ἔλεγον, ἔγραφον. Quo fit, ut haec forma a prima persona singularis distingui queat, quae est ἔλεγα, ἔγραφα, quo quidem discrime veteres carent. In ἐκουκουλίναν Zenus metri causa accentum ex antepenultima in penultimam syllabam conjecit. Quod reliquum est, κουκουλόνω proprie accipitur pro eo, quod est *cucullo obtego*. Quippe *cucullum* hoc ipso Latinorum vocabulo Graeci κουκούλιον vel κουκούλλιον nominant. Vide Ducang. Gloss. pag. 727. Verumenimvero nostro loco non ista sententia sub hac voce subjicienda, ut opinatur Ducangius l. l., sed universe hic sonat nihil nisi *obtego*, vel quia de undis agitur, *inundo*.

V. 128. τὰ 'μιάτια vel, ut alii scribunt, τὰ μάτια sunt *oculi*. Ita recentiores perpetuo dicunt omissa vocali o pro ὀμμάτια. Cf. adnot. ad Dialogi vers. 3 et ad Paraphras. vers. 6. Singularis plerumque audit τὸ μάτι pro

τὸ ὀμμάτιον. — De forma βουρκόναν idem dicendum, quod de ἐκουκουλόναν. Designat autem βουρκόνω primitus id, quod Ducangius pag. 222 ait, *in coeno voluto*, quum βοῦρκα apud nostri temporis Graecos *coenum* notet. Sed quis, quaeso, eandem vim huic verbo nostro quoque loco cum Glossarii illius auctore ascribat? Rectissime nempe Crusius vertit: oculi ejus *humescebant*. Sic quoque intelligendus locus ex Historia Apollonii Tyrii, quem allegat Ducangius.

V. 129. μετανοιωμένος participium barbarum reduplicatione carens perf. pass. verbi μετανοιόνω, quod e substantivo μετάνοια natum vulgus pro μετανοῶ adhibet. Cur barbarum appellem hoc participium, emergit ex iis, quae ad vers. 13 exposui. — ἤτονε vel ἦτον vel ἦτο *erat*. — ποίσῃ pro ποιήσῃ. Cf. adnot. ad verss. 18 et 20. Adde quae docuimus de hac constructione ad Dialogi versum 1.

V. 130. γυρίζω hic valet *redeo*. Cf. observata ad vers. 119.

V. 131. μόναι in recentiore sermone sonat *tantum, tantummodo, solum*. — τὰ πόδι' i. e. τὰ πόδια *pedes*. Singularis plerumque audit τὸ πόδι pro τὸ πόδιον. — De ἀπόσφιγγε locutus sum ad vers. 7 Dialogi. — τὰ πλάγι' per apocopen pro πλάγια *latera*, cujus vocis nom. sing. est τὸ πλάγι vel πλάγιον.

V. 132. ἤβλεπε vulgi more dupliciter auctum pro ἔβλεπε. Cf. quae supra notavimus ad Dialogi vers. 7. — ποῦ h. l. interpretandum *quo?* qui usus ne veteribus quidem plane ignotus fuit, licet a Porsono ad Euripidis Hecub. vers. 1070 (1054) pag. 77 ed. Lips. (ubi et Schaeferi animadversio quaedam addita est) in dubium vocetur. — πάγῃ vulgariter pro ὑπάγῃ. —

V. 133. τὸ ποτάμι vel ποτάμιον in inferiore Grae-

citate non ponitur pro *rivo*, ut in antiqua lingua, sed pro *fluvio*. Vide animadversionem ad vers. 6.

V. 134. De ἐτρόμαξε vide observata ad vers. 86.

V. 135. ἐβούτιξε aor. verbi βουτίζω, quod apud recentiores eundem sensum habet atque βυθίζω.

V. 136. ἄφηκε 3 pers. sing. aor. Ind. act. verbi ἀφίνω ex veteri ἀφίημι in novitia lingua formati. — νὰ πλέγῃ ex vulgi consuetudine pro πλέῃ. — μοναχόν του proprie significat *solum ipsius*, sed nihil exprimere vult scriptor, nisi *solum*. Itaque mirabili casu accidit, ut non tantum ὅλοι, sed etiam contrarium μοναχός Zenus addita quadam voce possessivum sensum habente, verum prorsus a sententia aliena usurpet. Vid. quae notavimus ad vers. 26. Caeterum Accusativus μοναχόν ex verbo ἄφηκε pendet, ita ut ista verba ad litteram valeant: *Psicharpagem dimisit solum, ut nataret*, quamquam mens scriptoris est: *Psicharpagem dimisit, ut nataret solus*.

V. 139. τὰ δόντια per aphaeresin pro ὀδόντια, quod diminutivum est citeriore aetate ab antiquo ὀδούς, ὀδόντος formatum. Nom. sing. apud plebem sonat τὸ δόντι. —

V. 140. De ἔχασε dixi ad vers. 116. — τρέμιαν i. e. ἔτρεμιαν, antique ἔτρεμον. Vid. ad vers. 127.

V. 141. πολλαῖς φοραῖς *saepenumero*. Sic πόσαις φοραῖς apud recentiores *quoties*, ποσάκις; μία φορά *semel*, ἅπαξ. — ἀνδρευέτον pro ἀνδρεύετο propter metrum. Vid. praeterea ad vers. 123. Hic istud verbum accipitur pro eo, quod Latini dicunt *viriliter eluctari*. Comparari potest germanicum *sich ermannen*, licet paulo aliud sit. —

V. 142. κλοτζῶντας nom. sing. part. praes. act. pro κλοτζῶν. Cf. adn. ad. vers. 106. κλοτζῶ *calcitro, calcibus ferio*, λακτίζω, πτερνίζω a latina voce *calx* originem trahit. — ἠμπόρειε 3 pers. sing. Imp. verbi ἐμπορῶ, quod in-

ferioris aetatis Graecis est *possum, valeo.* De hac forma vide quae notavi ad vers. 123. — ἐστρεφέτον pro ἐστρέφετο, ut vers. 141.

V. 143. — 'μπορούμενο per aphaeresin et apocopen pro ἐμπορούμενον, quod pro participio praes. pass. verbi ἐμπορῶ, de quo modo egi, habendum est. Est autem τὸ ἐμπορούμενον idem, quod τὸ δυνατόν. — νὰ γλύση 3 pers. sing. conj. aor. act. verbi γλύω ab antiquo ἐκλύω depravatione orti. Cf. observ. ad vers. 91.

V. 145. κουπί vel κουπίον natum solita vocalium mutatione ex κωπίον veterum, neque vero *parvum remum,* sed omnino *remum,* κώπην designat. — De ἔσυρνε cf. adnot. ad vers. 98. — ὀρά' vulgariter pro οὐράν usurpatur.

V. 146. ἐδέετον pro ἐδέετο. Cf. ad vers. 123. — νὰ φύγη τοῦ θανάτου; de hac constructione dixi ad v. 14.

V. 147. πικραμμένα aeque defendi potest atque πικραμένα. Cf. Buttm. ausf. Gramm. I p. 457 not. 14. Matthiae Gr. Gr. I p. 334, Lobeck ad Phryn. pag. 34. Schaef. ad Apoll. Rhod. schol. p. 235. —

V. 148. τέτοιος a vulgo pro antiquo τοιοῦτος dicitur. — λογὴ apud nostrae memoriae Graecos est *genus, modus.* Imprimis hoc vocabulum respondet gallicis vocibus *sorte* et *manière.*

V. 149. ἐγίνη aor. verbi γίνομαι. Pro hoc ἐγίνη nunc ἐγίνηκα apud vulgum et ἔγεινα sive ἔγινα in eruditorum loquendi genere magis in usu sunt.

V. 150. ἐφορτώθηκε quid sit, conjici potest ex iis, quae ad verss. 31 et 37 exposuimus. De reliquo praes. Ind. act. est φορτόνω, quod inserto ν in antiqui φορτόω locum successit. — νῶμος vulgariter pro ὦμος. Vulgus enim deceptus paulo celeriore accusativi singularis τὸν ὦμον pronuntiatione, qua articulus cum nomine coalescit, nominati-

vum νῶμιος esse ratus est. Eadem ratione nominativus νάνδρας *vir, maritus* ex accusativo τὸν ἄνδρα in plebeja loquela exstitit.

V. 152. ἀπέρασε aor. est verbi vulgaris ἀπερνῶ, cujus loco et περνῶ citerior graecitas novit, et quod ex veteri περάω inserto ν prodiit. ἀπερνῶ *transeundi, praetereundi, superandi, trajiciendi* et *transfretandi* potestatem habet. Itaque Crusius non accurate vertit: *et per maria avexit magna*, pro quo scribendum erat: et *maria trajecit magna.*

V. 153. τὸ νησί vel νησίον pro νῆσος veterum non *parva insula* sed *insula* hic est. — ἔβγαλε 3 pers. sing. aor. ind. act. verbi ἐβγάλλω. Cf. Ducang. Gloss. Tom. I p. 444, ubi non bene scribitur εὐγάλλω et Corais Ἄτακτ. II p. 134. Nunc plerumque praesens ἐβγάζω vel βγάνω est. Vertendum est hoc ἐβγάλλω, quod e veteri ἐκβάλλω exstitisse nemo dubitabit, pro locorum diversitate *auferre, abstrahere, producere, educere*, vel aliter.

V. 154. De ἐκατοίκα vid. adnot. vers. 38.

V. 155. τὰ λόγια et οἱ λόγοι promiscue nunc a Graecis dicitur. — τοῦτα vel ἐτοῦτα vulgariter pro ταῦτα. — ἔμπαξε 3 pers. sing. aor. ind. act. verbi ἐμβάζω, pro quo noster ἐμπάζω dicere solet. Vid. ad vers. 22. —

V. 156. χαμηλά proprie *humiliter*, h. l. *deorsum.* De praepositione ἐκ cum accusativo conjuncta vide quae observavi ad versum 60.

V. 157. ἡ vulgariter pro αἱ. — ἐκάναν metri causa pro ἔκαναν i. e. ἔκαμναν, quia vulgus κάνω pro κάμνω frequentat.

V. 158. κάτου ex vulgi consuetudine pro κάτω. — ἐτραύιξαν aor. verbi τραυίζω, cujus loco paulo usitatius nunc est τραυῶ *traho.* Sic et Damascenus Studita Homil. 21 καὶ τραυίζοντες τὰ μαλλία τους, ubi in editis exem-

plaribus deterior scriptura est: τραβίζοντες τὰ μαλία. Manuel Malaxus, quem et Ducangius excitat Gloss. Tom. II p. 1594: καὶ ἐπίανε τὸ σχοινίον τῆς καμπάνας, καὶ τὸ ἔτραύα, καὶ ἔκρουεν ἡ καμπάνα. Romanus Nicephorus Thessalonicensis in Grammatica linguae graecae vulgaris inedita, Ducangio teste l. l. a latina voce *trahere* hanc graecam deducit. Eadem Corais sententia est Ἄτακτ. II p. 355. Sed quum olim pro τραυίζω Graeci ταυρίζω quoque dixerint, ut ex hoc Contiani loco, qui est in Historia Apollonii Tyrii, efficitur

Καὶ τὰ μαλλιά του ἐταύρισε, καὶ σὰν γυναῖκα ἐδάρθη,

fortasse haud improbabile est, a substantivo ταῦρος hoc verbum manasse. Taurorum enim est *trahere* aratrum. Huc accedit, quod verba in ίζω cadentia saepenumero, ut constat, imitationem exprimunt, ita ut ταυρίζω primitus fuerit: *taurorum more traho.* Priori autem derivationi illud praecipue obstat, quod mirum foret, si Graeci ex *traho* non potius τράω vel τραύω quam τραυῶ fecissent. Neque enim ulla fuisset causa, cur accentum de loco, quem in peregrino verbo tenebat, dejicerent; ac praeterea nullum lingua graeca suppeditat exemplum verbi dissyllabi in άω desinentis, cujus penultima syllaba αυ pro α vel in antiquorum dialectis vel in plebeja recentiorum loquela fuerit, nisi accentus in ipsa vocali α remanserit. Itaque licet pervagata opinio sit, multorumque, qui in his litteris aliqua auctoritate sunt, confirmata, τραυῶ et τραυίζω verba latinae originis esse, ipsa tamen linguae analogia illorum decretis repugnat. — ἐβάναν metri causa pro ἔβαναν. Cf. ad v. 73.

V. 159. νὰ ἐβγάλῃ 3 pers. sing. aor. conj. act. verbi ἐβγάλλω. Vide quae notavimus ad vers. 153.

V. 160. κι ἀγάλι 'γάλι i. e. καὶ ἀγάλι ἀγάλι. Ducendum videtur Grammaticis vocabulum ἀγάλι, quod *sensim*,

paulatim, pedetentim significat, a *γαλήνη*; alii, inter quos Coraes est Ἀταχτ. Tom. II. p. 4 ab *ἀγανός* fluxisse statuunt. Ejusdem potestatis est *ἀγάλια*.

V. 161. *βορϑακὰ'* i. e. *βορϑακάν*. — *ἐμέμφετον* i. e. *ἐμέμφετο*. Cf. ad vers. 123. — *ὁποῦ 'τον* pro *ὁποῦ ἦτον*.

V. 162. *τονὲ* vulgariter pro *τὸν*, id est h. l. *αὐτόν*. Pariter Graeci dicunt *πῶς τονὲ λές*; *quomodo eum appellas? τονὲ βλέπω video eum*. Sed ante verba tantum pro *τὸν* adhiberi potest *τονέ*. — *ἀνόλπιστα* pro *ἀνέλπιστα* i. e. *ἀνελπίστως*. Perinde est *ἐλπίζω* et *ὀλπίζω*, quod infra exstat vers. 263. Caeterum conf. adn. ad vers. 90 et 24. — De hoc *σὲ* vide quae diximus ad dialogi vers. 9. — *ἀπωλεία'* metri causa pro *ἀπώλεια'* i. e. *ἀπώλειαν*.

V. 163. *ϑέλεις φύγει* futurum periphrasticum, ut vidimus vers. 21, ubi confer adnotationem nostram. Illis, quae ibi diximus, nunc haec addenda censemus. Non mirum est, recentiores hac potissimum periphrasi futuri temporis uti, quum et antiqui scriptores hic illic locos, quos merito huc trahas, offerant. Talis est apud Platonem locus in Phaedro cap. 5 p. 230 Steph. *τὰ δένδρα οὐδὲν μὲ ϑέλει διδάσκειν*, ubi quae Heindorfius et Astius notarunt nihili sunt. Res ita se habet. Quidquid facere volumus, quamvis jam in eo simus, ut faciamus, quoniam natura sua ad futurum tempus spectat, sive illud statim, sive multo post fore cogitatur, ita verbis enunciare solemus, ut quantum in nobis situm sit, exsecuturos nos esse significemus, nihil curantes, verene hoc eventurum sit, an minus. Huic notioni exprimendae destinatum est apud Graecos verbum *ϑέλειν* vel *ἐϑέλειν*, a quo distinguendum est *βούλεσϑαι*. Hoc enim non tam ipsa voluntas, quam externa voluntatis species exprimitur. Quo fit ut *ὁ ϑέλων ποιῆσαί τι* omni virium contentione nitatur, ut finem, quem sibi proposuit, at-

tingat, contra ut ὁ βουλόμενος ποιῆσαί τι, si illa, quam prae se fert, voluntatis species non simulata est, id, quod petit, pro viribus assequi studeat, si simulata est, nihil suscipiat, quo illius, quod in votis videbatur, compos fiat. Quodsi de rebus inanimatis haec verba usurpantur, sponte patet, quia hujusmodi rebus vera voluntas non est, tum ϑέλειν de eo intelligi, quod futurum esse certum est, βούλεσϑαι de externa tantum specie accipi, vel de eo, quod non est futurum, quia fieri non potest, licet speciem quandam praebeat, ex qua quis in spem adduci queat, illud eventurum esse. Jam perspicuus erit locus Aristotelis lib. II Polit. cap. 6 allatus ab Hoogeveno ad Vig. p. 226 ed. 3. Herm. ἡ δὲ σύνταξις ὅλη βούλεται μὲν εἶναι, μήτε δημοκρατία, μήτε ὀλιγαρχία, μέση δὲ τούτων, ἣν καλοῦσι πολιτείαν. Porro rectissime Hermannus l. l. p. 749 βούλεται in loco Cratyli Platonici interpretatur *significat.* Verba enim sunt: τὸ μὲν τῆς Τηϑύος οὐκ ἐννοῶ τί βούλεται; sed in duobus, qui adjecti sunt, Aristotelis locis βούλεται non vertendum est cum Hermanno *studet,* sed *vult.* In priore, qui e Rhet. II, 23 depromtus sic se habet: ὅλως γὰρ βούλεται ὁ κατηγορῶν βελτίων εἶναι τοῦ φεύγοντος capiendum est illud βούλεται de externa voluntatis specie ac de orationis artificio, quo aliis persuadere tentat accusator, se reo meliorem esse. In posteriore, qui legitur Polit. I, 4 et his verbis compositus est ἡ δὲ φύσις βούλεται μὲν τοῦτο ποιεῖν πολλάκις, οὐ μέντοι δύναται non dubium est, quin βούλεται accipiendum sit de eo, in quo externa volentis species conspicitur, quae tamen effectu caret, quoniam efficiendi facultas deest. Redeamus ad locum Platonis τὰ δένδρα οὐδὲν μὲ ϑέλει διδάσκειν de re certo futura intelligendum. Hic statim quaeramus oportet, sitne de docendi actione ut semel futura, an ut perpetuo vel certe saepius futura cogitandum. Posterius verum esse, loci natura

tura ostendit. Itaque illic enuntiatur actio futura quidem, sed nullo tempore praestituto, ac talis, quae si fors ita ferat, omni tempore accidere queat. Eadem enim semper arborum indoles est, quodque olim de iis dicendum erit, id nunc quoque dici potest. Quum igitur indefinitum sit hoc futurum tempus, et futuro et praesenti tempore istam sententiam in latino sermone reddere possumus, dicendo: *arbores nihil me docent* vel *arbores nihil me docebunt.* Ab his fere initiis profecta est futuri periphrasis, qua nunc continenter Graeci utuntur. — *νὰ γλύσῃς* vid. ad verss. 143 et 91. —

V. 166. *ἐξανάτωσες* vulgariter pro *ἐξανάτωσας.* Hujus formae jam mentionem facit Apollonius *περὶ συντάξεως* I, 36. — *μὲ πονηριὰ'* pro *μὲ πονηρίαν* i. e. *μετὰ πονηρίας.*

V. 167. *'ς τὸν νῶμόν σου.* Vid. ad vers. 150. — *ἐμπῆκες* 2. pers. sing. aor. Ind. verb. *ἐμβαίνω*, vulgo *ἐμπαίνω* sive *μπαίνω.* Cf. ad vers. 9 et 10.

V. 168. Differunt *ἀπέκει* et *ἀπεπεῖ.* Prius sonat: *tum, porro, dehinc, deinde,* posterius: *inde, istinc, exinde.* Pro *ἀπέκει* in Erotocrito legitur *ἀπόκει.* Cf. Carmin. popul. tom. II p. 216 ed. Fauriel. — *ἀφῆκες*, metri causa pro *ἄφηκες*, de quo dixi ad vers. 136.

V. 169. *ἤσουν* vel *ἦσον* 2. pers. sing. imperf. verbi *εἶμαι, eras,* ἦς. — *κάλλιος* explicui ad vers. 72. Sensus hujus et subsequentis versus est: non eras unquam me fortior aptiorque ad bellum terrestre suscipiendum et luctae laborem sustinendum et ad victoriam ex hoste referendam.

V. 170. *παλαίψῃς* 2. pers. sing. conj. aor. verbi *παλαίβω*, quo sermo vulgaris pro antiquo *παλαίω* utitur. Cf. Coraem ad Ptochoprodr. lib. I vers. 85 p. 63. — *σὰν* vel *ὡσὰν* frequenter nunc cum accusativo construitur. Idem casus infra vers. 284 particulae *ὥσπερ* adjungitur.

V. 171. In structura *κάλλια μου* Zenus veterem Genitivi usum servavit. Hodie Graeci idem enuntiaturi in vulgari sermone dicunt *καλλήτερα ἀπ' ἐμένα* vel *παρ' ἐμένα*. Vide infra observationem ad vers. 226.

V. 172. *ἤσουνε* idem quod *ἤσουν*. Vid. vers. 169. — De *μόναι* diximus ad vers. 131. —

V. 173. *ἀδικιὰ'* i. e. *ἀδικίαν*. — *δικειοσύνη'* i. e. *δικαιοσύνην*. Vid. quae de synizesi commentati sumus ad Dialogi vers. 1.

V. 174. *τιμωρεῖ τοὺς ἄδικους* eo sensu hic ponitur, quo Attici dixerunt *τιμωρεῖται τοὺς ἀδίκους*; sed hic sensus nunc activo perpetuo exprimitur. De reliquo *ἄδικους* pro *ἀδίκους* metri gratia a Zeno hic usurpatum est. Cf. adnot. ad Dialogi v. 5. — *χωρὶς* vulgi more hic accusativo jungitur, ut jam vidimus versu 62. —

V. 175. *τὸν ἐδικόν μου θάνατον meam mortem.* Vid. ad vers. 20.

V. 176. *θὲ σὲ τιμωρήσει* i. e. *θέλει σὲ τιμωρήσει*. Cf. vers. 21.

V. 177. *χάθην* i. e. *ἐχάθη*. Cf. adn. ad vers. 13 et 116. —

V. 178. *ἐξαπλώθηκε* vulgariter pro *ἐξαπλώθη*. Vid. quae docuimus ad vers. 31. — *ἐβγῆκεν* 3 pers. sing. aor. Ind. verbi *ἐβγαίνω* ex veterum *ἐκβαίνω* orti. Vid. observationem ad vers. 9. —

V. 179. *ἔτυχε* non adjecto participio *ὤν* jam interdum in antiquorum libris reperitur. Lege Hermanni animadversionem ad Soph. Aj. vers. 9. Adde Lobeck. ad Phrynich. pag. 277. Schaefer. ad Bos. ellipses p. 785. Vulgus non novit illud participium *ὤν*, quare hic ne adjici quidem poterat, quamquam in aliis structuris ab hac diversis indeclinabile participium *ὄντας* usitatum est. —

ἐπάνου plebis more pro ἐπάνω. Cf. observata ad vers. 120. Notandum vero, quamvis ἐπάνου εἰς proprie sit *super*, tamen ἐπάνου εἰς ἕνα τόπον reddendum esse *in quodam loco.*

V. 180. βάλϑηκεν vulgariter pro ἐβάλϑη 3 pers. sing. aor. Ind. pass. verbi βάνω, quod jam legimus versu 73. De forma conf. notata ad vers. 31.

V. 181. νὰ πᾷ vulgariter pro νὰ πάγῃ. Cf. adnot. ad vers. 303. — νὰ 'βρῇ 3 pers. sing. conj. aor. act. verbi εὑρίσκω, pro qua et νά βρῃ apud plebem et νὰ εὕρῃ apud eruditos in usu est, ut vidimus vers. 92.

V. 183. ἐπνίξαν metri causa pro ἔπνιξαν.

V. 184. γροίκησαν i. e. ἐγροίκησαν. Vid. ad vers. 89. — De voce δόντια egimus ad vers. 139. — ἐτρίξαν metri causa pro ἔτριξαν.

V. 185. διαλαληταάδες accus. pluralis barbari pro διαλαληταί *praecones.* Eadem forma et nominativi vicem explet. Sic olim dixerunt ποιηταάδες pro ποιηταί (cf. Simonis Portii epistolam dedicatoriam ad Cardinalem de Richelieu grammaticae sermonis graeci vulgaris praemissam apud Ducang. Gloss. med. et inf. gr. Tom. I p. XIX.) μαϑηταάδες pro μαϑηταί, ῥαφταάδες pro ῥάπται et multa alia, quae maximam partem etiam nunc a vulgo usurpantur. Certe postremae duae voces hodieque sic flectuntur ab hominibus antiquae linguae ignaris. — ὅρισαν vid. observationem ad Dialogi vers. 2. — 'βγοῦν pro ἐβγῶσι 3 pl. conj. aor. verbi ἐβγαίνω ex veterum ἐκβαίνω nati. — διαλαλήσουν 3 pl. conj. aor. act. verbi διαλαλῶ pro διαλαλήσωσι. —

V. 186. γένῃ 3 pers. sing. conj. aor. verbi γίνομαι. Cf. ad vers. 149. — σύντομα i. e. συντόμως.

V. 187. μαζωχτοῦσιν i. q. μαζωχϑῶσιν 3 pers. pl. conj. aor. pass. verbi anomali μαζόνω *congrego, in unum*

cogo. Eadem vi in vulgari lingua μαξεύω est, quod ab antiquo ὁμαδεύω originem trahit. — ὅλοι τους explicui ad vers. 26. — 'ς τοῦ Ψωμοφάγου scil. τὴν κατοικίαν vel τὸ σπίτι. Pariter apud veteres omitti vocabula οἶκος et δῶμα, satis notum est. Vide Matth. Gr. Gr. §. 380 adn. 5 p. 701 ed. II. —

V. 188. ἄ͡ϑλιου metri causa pro ἀϑλίου.

V. 189. Ὁποιὸ͡ς per synizesin pro ὁποῖος, de quo pronomine commentatus sum ad vers. 6. — ἔπλεγε i. e. ἔπλεε. cf. vers. 136.

V. 190. 'σὰν τό 'χει i. e. ὡσὰν τὸ ἔχει. —

V. 191. ἐμαζωχτήκασιν 3 pers. pl. ind. aor. pass. verbi anomali μαζόνω. Vid. vers. 187. Forma haec barbara est pro ἐμαζώχϑησαν. Cf. observ. ad vers. 31. — σηκωμένος recentiore significatu *erectus;* est part. perf. pass. omissa, ut recentiores consueverunt, reduplicatione a praesenti σηκόνω, quod ab antiquo σηκόω mutata potestate fluxit. Ducangius Tom. II p. 1368 et 1369 male scribit σικόνειν, σικώνειν et συκώνειν, quamquam recte explicat: *sublevare, tollere, erigere* et passivum *exsurgere, e lecto surgere.*

V. 192. Ψωμόφαγος metri causa pro Ψωμοφάγος. — ὁποῦ 'τον i. e. ὁποῦ ἦτον.

V. 193. ἡ μέση in citeriore graecitate substantivi loco est *medium, meditullium, mediam partem* designans. De aliis significationibus consule Ducangii Glossar. Tom. I pag. 911 et Dehèquii Dict. gr. mod. fr. — ἐστάϑηκε vulgariter pro ἐστάϑη, qui hodie aoristus est verbi recentioris στέκω vel στέκομαι i. e. *sto, versor, commoror.* — ἔπαψε explicui ad vers. 119. — κλαίγῃ vulgi more pro κλαίῃ. Vid. observata ad vers. 65.

V. 194. τὰ 'μιάπια quid sit, exposui supra ad vers.

128. — *ἐσφούγγισε* ex vulgi consuetudine pro *ἐσπόγγισε*. At nihil mirum in hac forma; nam Attici quoque *τὸν σπόγγον* appellabant *σφόγγον*. Praeterea, quam saepe o in *ου* in veterum dialectis transierit, nota res est. Vid. Matthiae Gr. Gr. Tom. I p. 54 ed. II.

V. 196. *συμπασχήσετε* Imp. aor. verbi barbari *συμπασχῶ*, quod omisit Ducangius in Glossario. Ejus loco hodie ut antiquorum aetate *συμπάσχω* dicunt, a quo differt *συμπαθῶ*, quod prioribus saeculis simillima significatione erat. — *τὴν 'δική μου* i. e. *τὴν ἐδικήν μου*. Cf. adnot. ad vers. 20.

V. 197. *πᾶσα εἷς* vel *πᾶσα ἕνας* soloecum et barbarum pro *ἕκαστος*. Vid. Corais *Ἄτακτ.* Tom II p. 286. Interdum apud antiquiores poetas barbarograecos legitur, quod paulo est rectius, *πᾶς ἕνας* vel conjunctim *πασένας*. Hodie pro his locutionibus dicitur a vulgo *κάθε* vel *καθένας*.

V. 198. *λάβαν* i. e. *ἔλαβαν*, attice *ἔλαβον*. — *παιδιά* per synizesin pro *παιδία*.

V. 199. *συντροφιά'* i. e. *συντροφίαν*, quae vox in recentiore lingua semper fere pro *comitatu* vel *societate* accipitur. Exempla hujus significationis ex vetustioribus scriptis vulgari sermone confectis collegit Ducangius Tom II pag. 1490. Hanc significationem, quam rejectis reliquis prope solam retinuit citerior graecitas, antiquam esse constat. Consule Londinensem Thesauri Stephanici editionem s. h. v. Raro *συντροφία* pro *σύντροφοι* dicitur, ut infra versu 388. Tum igitur vertendum est *sociorum, amicorum, familiarium* nomine.

V. 200. De *ποτέ μου* vid. adnot. ad vers. 75. — *ἄφηνα* 1 pers. sing. Imp. act. verb. *ἀφίνω*, de quo dixi ad vers. 136. — *'βγοῦν* explicui ad vers. 185. — *ἀπὸ κοντά*

μου hic verti potest: *a latere meo.* Quid proprie sit κοντύ, exposui ad vers. 92.

V. 201. ἐμεγαλώσανε vulgariter pro ἐμεγάλωσαν, 3 pers. pl. aor. Ind. act. verbi novitii μεγαλόνω h. e. *magnum reddo, magnus fio, adolesco.* Ducangius omisit hoc verbum, sed Somavera in lexico Graecoitalico una cum aliis verbis ejusdem stirpis explanavit. Cf. Corais Ἄτακτ. Tom. IV pag. 314 seqq. — ἐβγαίνασι, 3 pers. pl. Imp. verbi ἐβγαίνω pro ἔβγαιναν. Cf. ad verss. 185 et 9. — τὸ πλάτος hic est idem quod apud veteres ἡ πλατεῖα, *platea, via publica.*

V. 202. De vocabulo γάτος vide quae notavimus ad vers. 14. —

V. 203. 'πού 'τρεχε i. e. ὅπου ἔτρεχε, de qua verborum inclinatione disserui ad dialogi vers. I. — ἔπιασέ τον i. e. *cepit eum.* Est vero ἔπιασε, in quo synizesis etiam in pedestri sermone et in colloquiis a multis servari solet, 3 pers. sing. aor. Ind. act. verbi πιάνω, quod accipitur de eo, quod est *arripio, corripio, comprehendo, sumo, capio.* Exempla quaedam ex medii aevi monumentis congessit Ducangius Tom. I pag. 1165, ubi praeter rectam scripturam et falsa πιάνειν exstat, quam nullo modo tolerari posse, originatio locutionis vincit, siquidem deducenda est a veterum verbo πιέζειν, vel ut Dores dixerunt, πιάζειν.

V. 204. ὕστερα i. e. ὕστερον, ut antiqui dicere consueverunt. — 'φαγέ τον pro ἔφαγεν αὐτόν.

V. 205. ἀγριωτάτοι metri causa pru ἀγριώτατοι.

V. 206. De ξυλόγατα dixi ad vers. 87. — 'ποῦ 'νε pro ὁποῦ ἔνε.

V. 207. παγίδα antiquo significatu. Hodie dicunt in vulgari sermone ἡ παγίδα, τῆς παγίδας pro παγίς, ίδος. — φθέρνει, antique φθείρει. Vid. ad vers. 74. —

V. 208. *πονηρὰ'*, ut supra vers. 166. — *παίρνει* dilucidavi ad dialogi vers. 10.

V. 209. *ἀκριβός carus, amicus, dilectus,* inferioris graecitatis vocabulum, formatum ex antiquo *ἀκριβής*. Porro apud nostrae memoriae Graecos ea, quae magno pretio venduntur, sunt *ἀκριβά*, *cara*. Denique de hominibus hoc adjectivum capitur, qui veteribus sunt *φιλάργυροι*, quamquam eo sensu ab eruditis saepius ponitur antiqua vox. — De pronomine *ἐμέν* vide dicta ad vers. 18. Caeterum quum *ἀκριβός* ob significationem dativum requirat, apertum est et accusativum *ἐμέν* et genitivum *μητρός* dativi vice hic fungi. Cf. quae observavimus ad vers. 96.

V. 210. *ἀγαπούσαμε'* i. q. *ἀγαπούσαμεν* 1. pers. pl. imp. act. verbi *ἀγαπῶ*. Nam pro *ἠγάπων* plerumque nunc *ἀγαποῦσα*, pro *ἐτίμων*, *ἐτιμοῦσα* etc. dicunt. Vide Darvaris Γραμματ. ἁπλελλ. σελ. 130. — *γιατ' ἦτον* i. e. *γιατὶ ἦτον*.

V. 211. *ὑστερῶ privo* in deteriore graecitate valet, cujus significatus nullum, quod sciam, in antiquorum scriptis vestigium est.

V. 212. *ἐβάλασιν* pro *ἔβαλαν* 3 pers. pl. aor. Ind. act. verbi *βάνω* ex antiquo *βάλλω* nati, de quo vide Δαρβάρεως Γραμμ. ἁπλ. σελ. 185. — *μὲ κλεψιὰ'* i. e. *μὲ κλεψιὰν furtim*. Legitur autem *κλεψιὰ* pro antiquo *κλοπή* jam in Nomocanone ed. Coteler. num. 442. 476. tom. I. Monumentor. Eccl. Graec.

V. 213. *καλὰ καὶ quamquam, quamvis* pro antiquorum *καίπερ*, *εἰ καί* Italismus est. Itali videlicet sic usurpant *benche* ac similiter Galli *bien que*, nos *wiewohl*. Pro *καλὰ καὶ* usitatiora hodie sunt *ἀγκαλὰ* et *ἀγκαλὰ καί* in quibus prima syllaba est particula conditionalis *ἄν*. Proinde comparari possunt cum Italico *sebbene*. — In *μόνος μοῦ' παῤα* i. e. *μόνος μου ἔπαῤα* idem dicendi genus

cernitur, quod est vers. 210 *γιατ' ἦτον μοναχός του*, et vers. 136 *ἄφηκε μοναχόν του*, ubi vide adn. nostram. — *ἔπαϑα* i. e. *ἔπαϑον*. — *τούτην* vulgariter pro *ταύτην*.

V. 214 *ἐβρισία* et *ἐβρίζω* pro *ὑβρισία* et *ὑβρίζω* nunc quoque vulgus in Graecia frequentat. Hoc *ὑβρισία* in citeriore graecitate aequiparat antiquam dictionem *ὕβρις*. Similis alternatio vocalium *υ* et *ε* infra reperitur vers. 274, ubi legitur adjectivum *ἀγγελωτὸς* ortum ex *ἀγκυλωτός*.

V. 215. *νὰ γένῃ* explicavi ad vers. 186. — *ἀργοῦμε'* 1 pers. pl. praes. conj. verbi *ἀργῶ* ex vulgi consuetudine pro *ἀργῶμεν*. —

V. 216. *ἄς*, frequentissimi usus particula apud nostri temporis Graecos, probabile habet etymon ab antiquo imperativo aor. 2 act. verbi *ἀφίημι*, qui interdum similiter in novo testamento adhibetur v. c. Matth. cap. XXVII vers. 49 *οἱ δὲ λοιποὶ ἔλεγον· ἄφες, ἴδωμεν, εἰ ἔρχεται Ἠλίας σώσων αὐτόν*, quae verba in recentiorem sermonem sic transferenda sunt: *ἀλλ' οἱ λοιποὶ ἔλεγαν· ἄς ἰδῶμεν* (vulgariter *ἰδοῦμε*) *ἄν ἔρχεται ὁ Ἠλίας νὰ τὸν σώσῃ*. Originatio haec propterea maxime probanda videtur, quod illud veterum *ἄφες* in carminibus quinti et sexti decimi saeculi per syncopen in *ἄφς* breviatum invenitur, unde nova syncope admissa oriri potuit *ἄς*. Tale est quod in Cornari Erotocrito legimus pag. 199:

Ἄφς τονὲ τὸν Ῥωτόκριτον, καὶ πιάσε τὴν βουλήν μου.

Est vero *ἄς* hodie apud Graecos particula imperantis, adhortantis, optantis, cupientis et concedentis. Postremus significatus omissus est a Corae ad Ptochoprodr. p. 98 seqq., ubi praeter eam quam memoravi derivationem particulae et alias duas, quibus album calculum adjicere dubito, proponit et accurate natales hujus voculae cum ejus potestate declarare tentat. Concedentis haec vocula est in

usitatissimo loquendi genere ἂς ἦναι *sit istud*, quum, quod alter dixit, licet prius nobis non placuerit, tamen postea ei largimur vel certe ejus sententiam impugnare nolumus. — ἐμποῦμε᾽ explicui supra v. 114. — ὀρδινιὰ vel ὀρδινία apud recentiores imprimis est *ordo*, vocabulum a Latinis sumtum. Nostro loco *aciei* nomen quadrat. Ita jam Leo in Tactic. cap. 3 τὴν δὲ τοιαύτην ἐπιλογὴν καὶ ὀρδινίαν ποιεῖσθαι ἐν τοῖς κοντουβερνίοις. — ἀπαμελοῦμε i. e. ἀπαμελῶμεν.

V. 217. βροῦμε᾽ vel βροῦμεν vel βρῶμεν 1 pers. pl. aor. conj. act. verbi εὑρίσκω pro antiquo εὕρωμεν, quod docti hodieque scribunt. — νὰ ᾽νδυθοῦμε᾽ 1 pers. pl. aor. conj. pass. verbi ἐνδύω vel ἐνδύνω, pro qua forma docti veterum more adhibere solent ἐνδυθῶμεν. Ita scilicet emendandum esse quod vulgo hic legebatur ἀντιθοῦμε et loci hujus ratio et Crusii auctoritas vincit, qui vertit *ut induamur*. Nam licet ille aliud in textu habeat, aliud in translatione, tamen, quomodo haec diversitas exstiterit, in praefatione ostendi.

V. 218. νὰ μαζωχτοῦμε ex plebis consuetudine pro μαζωχθῶμεν 1 pers. pl. aor. conj. pass. verbi anomali μαζόνω. Vid. vers. 187. — νὰ πά᾽ i. e. νὰ πάμεν, quae forma per aphaeresin et syncopen breviata est ex ὑπάγωμεν. Cf. Davidis παραλλ. τ. ἑλλ. κ. γρ. γλ. κεφ. α᾽ παραγρ. 8 σελ. 4. — εὑροῦμε i. q. βροῦμε vers. praeced.

V. 219. τοῦτος vulgariter pro οὗτος. — ἔπαψε i. e. ἔπαυσε, ut vers. 119. — ἀποκριθῆκαν metri causa pro ἀποκρίθηκαν i. e. ἀπεκρίθησαν. Cf. adnot. ad vers. 31.

V. 220. ἀποθάνωμε vulgariter pro ἀποθάνωμεν. — ἐμπῆκαν, ut supra vers. 10.

V. 221. τί λογῆς pro τίνος λογῆς vel ποίας λογῆς *cujus generis*. De vocabulo λογή dixi ad vers. 148. Notandum autem, in vulgari sermone τί in quibusdam loquendi

formulis cum nominibus masculini vel feminini generis singulariter vel pluraliter enuntiatis construi, exempli causa *τί καιρὸν κάμνει*, quod cum gallico loquendi modo *quel temps fait-il?* merito comparat Coraes Ἄτακτ. II p. 164 *τί νέα* vel *τί μαντάτα φέρεις*; *quid novi affers?* *τί ἄνθρωποι*; *τί γυναῖκες*; pro *τίνες ἄνθρωποι*; *τίνες γυναῖκες*; Si haec soloeca sunt, ut sunt certe, Trygaeus quoque apud Aristophanem soloece locutus est in Pace vers. 693 interrogans Mercurium, qui dixerat:

οἷα μ' ἐκέλευσεν ἀναπυθέσθαι σοῦ

his verbis *τὰ τί*; ubi exspectari debebat *τὰ τίνα*; — *ἦτανε* vulgariter pro *ἦσαν*. — *ἅρματα* in deteriore graecitate appellantur quae antiquis *ὅπλα* sunt. Non dubium est, quin Graeci hanc dictionem a Romanis eo certe sensu acceperint. Nam quum *ἅρμα* sit apud antiquos *plaustrum*, necesse est, istam significationem e latino sermone sumtam esse, id quod confirmatur Eustathii verbis ad Iliad β′ 384 T. I p. 243 ed. Rom. *ὅτι ἡ τοῦ ἅρματος λέξις καὶ ἐπὶ ὅπλου λέγεται, καὶ ὅτι Ῥωμαϊκὸν τοῦτο, καὶ ὅτι διὰ τοῦτο οὐδὲ ὁμωνυμία ἐντεῦθεν γίνεται, δηλοῦσιν οἱ παλαιοὶ σοφοί.* Itaque nunquam satis mirari potui, quid Cumae in mentem venerit, qui ex his Eustathii verbis in translatione lexici Riemeriani s. v. *ἅρμα* collegit, *ὅτι αὕτη ἡ σημασία (τοῦ ἅρματα ἀντὶ τοῦ ὅπλα) φαίνεται ἑλληνική*. Sed quid Cumam curamus, quum, quid Eustathius dicat, satis manifestum sit. Multa ex medii aevi scriptoribus exempla in hanc rem congessit Ducangius Gloss I p. 120.

V. 222. *κουκιὰ* vel *κουκία* vel elegantius *κοκκία* sunt *fabae* *κύαμοι*, in inferiore graecitate. Cf. Ducang. Tom. I p. 726. Singularis est *κοκκίον*, vulgo *κουκί* vel *κουκκί*. Coraes Ἄτακτ. Tom. IV pag. 247 videtur recte derivare hanc locutionem ab antiqua *κόκκος*, quae *granum*

valet; nam praeter eam significationem quam memoravi κουκὶ et *granum* designat. Cf. ibid. pag. 538. — ἐσχίσασι vulgariter pro ἔσχισαν. vid. adn. ad vers. 9. — τὰ τζιά non tam *tibiae* sunt, ut Crusius putat atque ex eo Ducangius Gl. Tom. II p. 1569, quam *poplites* aut *surae*. Hic de *suris* capienda illa vox. Etsi enim in archetypo vers. 123 legatur

Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκαν
Ῥήξαντας κυάμους χλωροὺς, εὖ τ' ἀσκήσαντες

atque idcirco Crusiana interpretatio verisimilitudinis speciem quandam habeat, tamen *tibiae* a recentioribus quoque κνῆμαι, nunquam τζιά vocantur. Natum est mirum hoc vocabulum per aphaeresin et synizesin ex ἀντζία vel singulariter ἀντζίον, quod deminutivum est nominis ἄντζα, cui eadem notio subest. De originatione hujus vocis tractat Coraes ad Heliod. II pag. 113, cujus verba hic apponere non inutile erit. Ὁ Εὐστάθιος (Ἰλιάδ. ψ, σελ. 1326) λέγει, ὅτι ἡ Ἀγκύλη εἰς τοὺς χρόνους του ὠνομάζετο ἀπὸ τοὺς ἰδιώτας, Ἄντα καὶ Ἄνζα καὶ φαίνεται ὅτι ὑπέλαβε τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ σήμερον λεγόμενον, Ἄντζα καὶ Ἀντζίον, ὅτι εἶναι παραφθορὰ τοῦ, Ἀγκύλη, χωρὶς νὰ φανερώσῃ τὸν τρόπον τῆς φθορᾶς. Ἂν λοιπὸν ἡ νῦν Ἄντζα ἐλέγετο ἐπ' Εὐσταθίου, Ἄντα, πρέπει νὰ ὠνομάσθη οὕτως (h. e. necesse est, eam sic nominatam esse) ἀπὸ τὸ Ἀντα ἐπίῤῥημα, διότι κεῖται ἀπεναντίας εἰς τὸ πρόσθιον μέρος τοῦ γόνατος. Φαίνεται ὅμως πιθανώτερον, ὅτι ἐφθάρη ἡ Ἄντζα ἀπὸ τὸ Ἄγκα ἢ Ἄγκη, πρωτότυπον ὄνομα, ὅθεν ὁ ἀγκὼν καὶ ἡ ἀγκύλη, κατὰ τροπὴν χυδαϊκὴν τοῦ γ εἰς τὸ ν καὶ τοῦ κ εἰς τὸ τζ.

V. 223. εἴχασι vulgariter pro εἶχαν. Cf. adnot. ad vers. 9. — σκουτάρια a nom. sing. σκουτάρι vel σκουτάριον, latinae originis vox. Non tamen ipsum Latinorum vocabulum *scutum* (σκοῦτον) unquam Graecos usurpasse repe-

rio, sed statim ex eo deminutivum σκουτάριον formasse. Scholiast. Oppiani lib. I Halieut. v. 735 σάκος, σκουτάριον. Justinianus in Nov. 85, cap. 4. ἀσπίδας ἤτοι σκουτάρια. Vid. Ducang. II, 1398. — Caeteroqui τῶν λύχνων τὰ σκεπάσματα interpretandum est: *lucernarum tegumenta*, non *umbones*, ut Crusius falso addidit.

V. 224. τὰ κοντάρια *hastae*. Nomen κοντάρι vel κοντάριον ex ipso veterum vocabulo κοντάριον deminutivo vocis κοντός fluxisse existimo, licet significatio paululum mutata sit. Sic jam Schol. Oppiani lib. 2 v. 25 δοῦρα, κοντάρια et v. 329 ἔγχεα, κοντάρια. Saepius apud scriptores medii aevi reperitur. Cf. Ducang. Gl. T. I p. 707.

V. 225. Quod apud antiquos ἐρέβινθος est, id hoc loco a Zeno ἐρέβιθος, vulgo nunc a Graecis ἐρεβίθι vel ἐροβίθι nominatur. Ducangius Tom. II p. 1286 laudat et formas ἐρέβυνθος et ἐρεβύνθιον. Cf. Crusii Turcograeciam p. 217 et Agapium Cretensem in Geopon. c. 52. 86. Crusius verba χλωρῶν ἐρεβίθων recte quidem reddit *viridium cicerum*, sed quod adjicit *seu nucum* supervacuum est. — ἡ φλοῦδα vel τὸ φλούδι valet *corticem* et *putamen* in recentiore lingua. Nata est haec dictio ex veterum φλόος vel φλοῦς.

V. 226. De vocabulo κορμί dixi ad vers. 94. — ἁρμάτωσαν aor. Ind. act. verbi ἁρματόνω *armo*, *armis instruo*. Verbum latinae originis est. Vid. adnot. ad vers. 221. Utuntur hoc verbo passim scriptores Byzantini. Vid. Ducang. s. v. ἁρματοῦν. — ἀπὸ comparationi hic servit, cujus loco et παρὰ c. accus. usitatum est. Similiter jam Thucydidis scholiasta ad lib. I cap. 28 posuit praepositionem ἀπό. Thucydidis verba sunt — εἰ δὲ μὴ, καὶ αὐτοὶ ἀναγκασθήσεσθαι ἔφασαν, ἐκείνων βιαζομένων, φίλους ποιεῖσθαι οὓς οὐ βούλονται, ἑτέρους τῶν νῦν ὄντων μᾶλλον, ὠφελείας ἕνεκα,

in quibus extrema ἑτέρους τ. ν. ο. μ. exponit ἄλλους ἀπὸ τῶν παρόντων φίλων. Bene autem Henr. Stephanus in Annotationibus ad haec scholia vol. VI p. 84 ed. Bipont. monet, non esse aliam scholiastae mentem, quam quae vulgo sic exprimatur ἄλλους ἢ τοὺς παρόντας φίλους. Ipse vero Thucydides lib. I, 23 ita usurpavit παρὰ in hunc modum loquens: - - - ἡλίου τε ἐκλείψεις, αἳ πυκνότεραι παρὰ τὰ ἐκ τοῦ πρὶν χρόνου μνημονευόμενα ξυνέβησαν, quae vis voculae παρὰ nondum accurate a Grammaticis enucleata est. Caeterum cf. adn. ad vers. 171. — κάλλια ut supra vers. 72.

V. 227. δερμάτι i. e. δερμάτιον, δέρμα. — ηὗρασι pro ηὗραν, antique εὗρον. Vid. adn. ad vers. 9. — ὁπού 'τον i. e. ὁποῦ ἦτον.

V. 228. τό 'χασι i. e. τὸ εἶχασι. — τζιτωμένο' part. perf. pass. verbi τζιτόνω omisso ν pro τζιτωμένον. τζιτόνω accipitur pro eo, quod est *extendo, tendo, intendo*, et recte derivatur a Corae Ατακτ. Tom. IV. p. 600 ab antiquo τιταίνω. Differunt apud nostrae memoriae Graecos τζιτόνω et ἁπλόνω. Posterius magis *explicandi* et *expandendi* notionem habet. v. c. ἐξαπλόνω τὰ χαρτία ἐπάνω εἰς τὸ τραπέζι *chartas in mensa explico*, sed τζιτόνει τὸ πανίον ὁ ἀσπριστής *insolator* (der Bleicher, le blanchisseur) *lintéum extendit*. Is igitur ἐξαπλόνει, qui quod involutum et implicitum erat evolvit et explicat, τζιτόνει vero qui jam explicita et evoluta sic ad amussim tendit, ut una eademque continuata appareat linea. Quo fit, ut qui ἐξαπλόνει aliquid, efficere velit, ut res, cujus extrema modo lineamenta vel partem aliquam videbamus, jam tota sub aspectum cadat, quamquam continuam punctorum seriem ad eandem lineam in superficie ejus rei sitam pertinentium non curat, contra ut ὁ τζιτόνων, si minus caute ultra quam fas est, tendit, rem scindat et dirumpat. Hic usus constans est.

Notandum vero, de morientibus usurpari ἐξαπλόνομαι, quod Latinorum consuetudo *extendendi* vocabulo reddi postulat. Cf. verss. 339, 354 etc. Ex his intelligitur, Crusium errasse, qui hos duos versus sic reddidit: *Felis pellem invenerunt, quae erat extenta, eamque calamis pulcherrime consuerunt.* Nam verba graeca hoc sonant: *Felis pellem invenerunt, quae erat explicata, eamque calamis pulcherrime extenderunt.* De constructione εἴχασι τζιτωμένο cf. Davidis Méth. pour étudier l. l. gr. mod. Chap. XXXIX. §. 5. p. 85.

V. 229. λουρίκιον vel λωρίκιον (cf. adnot. ad Dialogi vers. 1.), cujus loco et λωρίκη in Eclog. Leonis et Constantini Impp. tit. 17 §. 4 reperitur, latina vox *lorica* est, quae pro antiqua *thoracis* appellatione invaluit. Opportune in hanc rem Ducangius Tom. I p. 835 affert Epimerismos Herodiani, ubi legitur θώραξ, τὸ λωρίκιον et Gloss. Gr. MSS. Cod. Paris. 1673 θώρακος, λωρικίου πολεμικοῦ. Vid. ibid. alios locos ex Byzantinis scriptoribus collectos. — κάμιασι pro ἔκαμιαν. Vid. adn. ad vers. 9. — δείχνουν explicui ad vers. 100. — ἀγριωμένοι, antique ἠγριωμένοι. Praesens Ind. act. nunc est ἀγριόνω.

V. 230. τέτοιας λογῆς, ut vers. 148. — De ἁρματωμένοι cf. vers. 226.

V. 231. ἐμάθασι i. e. ἔμαθαν, ἔμαθον. — ἐτοῦτα vel τοῦτα vulgariter pro ταῦτα, ut jam vidimus versu 155. — μαντάτον in inferiore graecitate designat *rem novam, nuncium;* apud medii aevi scriptores et pro eo accipitur quod Latinis est *mandatum,* unde ducta vox est. Vide Ducang. s. v. μανδάτον.

V. 232. πῶς vulgariter pro ὅτι, ut jam legimus versu 108. — φουσάτον, pro quo alii scribere solent φουσσάτον vel φοσσάτον, est proprie Latinorum vocabulum *fos-*

satum. Sic Procopius Gazaeus lib. I Regum cap. 20 παρὰ μὲν Ἕλλησι τάφρον, παρὰ δὲ Ῥωμαίοις φωσσάτον. Porro *castra fossis circumducta* sic nominantur atque adeo ipse *exercitus*, ut multis mediae aetatis scriptorum locis ostendit Ducangius Gl. Tom. II p. 1692. Hoc loco significat *exercitum, copias.*

V. 233. ἀγήσουν i. e. ἀργήσωσι. Crusius verba χωρὶς ν' ἀργήσουν τίποτες ad litteram reddidit: *absque cunctando quicquam,* quae interpretatio ne teretes aures offenderet, a me sic mutata est: *sine ulla cunctatione.* — ἐβγῆκαν 3 pers. pl. aor. Ind. verbi ἐβγαίνω. Cf. vers. 185.

V. 234. ἐμαζωχθῆκαν metri causa pro ἐμαζώχθηκαν i. e. ἐμαζώχθησαν. Vid. quae observavimus ad verss. 31, 187 et 191.

V. 235. νὰ μάθουσι vulgariter pro νὰ μάθωσι. — ὀργισθῆκαν vid. vers. praeced.

V. 236. ἀπορούσασι pro ἀποροῦσαν (cf. adn. ad v. 9.) 3 pers. pl. Imp. verbi ἀπορῶ. Vid. quae observavimus ad vers. 210. — ἐχθρευθῆκαν cf. vers. 234. Eo sensu quo hic Zenus ex recentioris linguae consuetudine passivum posuit, veteres activum ἐχθρεύειν adhibere solent.

V. 237. μαντατοφόρος, *nuncius, legatus, caduceator.* Cf. observ. ad vers. 231 et Ducang. Tom. I pag. 862. — φθάνω simplici *adveniendi, accurrendi* et *attingendi* notione citerioris graecitatis est. Sic jam Ptochoprodr. lib. I vers. 13

ἔφθασα πρὸς τὸ πέλαγος τῶν εὐεργετημάτων. —

De nomine Ἐμπασοτζουκάλης, quo redditur archetypi Ἐμβασίχυρος cf. adn. ad vers. 71.

238. 'ποῦ 'τον i. e. ὁποῦ ἦτον.

239. ῥαβδί i. e. ῥαβδίον, ῥάβδος. — κρατῶντας pro κρατοῦντας i. e. κρατῶν, ut demonstravimus ad vers. 106.

— τορνευτός non est *tornatilis*, ut Crusius male vertit, sed *tornatus*.

V. 240. ἐσύμωσε aor. verbi συμόνω, pro quo alii σιμόνω, scribunt, *appropinquandi* vim habentis. Verbum hoc, quo soli recentiores utuntur, dubii est etymi. Male enim id Coraes Ἄτακτ. Tom. IV p. 498 ab antiquo σιμόω, repugnante significatu, quem, quo vult, mire detorquet, deducere conatur. Fortasse ut ἀνταμόνω *colloquor*, *jungo*, *unio*, in recentiore lingua ab ἀντάμια *una*, *simul*, quod ex ἐν τῷ ἅμα constat, manasse certum est, ita συμόνω e vocibus σύν et ἅμα, ut Dehèquius quoque in Dict. gr. mod. fr. censet, formatum est. Idem vero est, si quis ex adverbio συμά *prope*, *juxta* fluxisse dicat, quod ex σύν et ἅμα compositum esse liquet. — πλησιό' i. e. πλησίον.

V. 241. νὰ ἠξεύρετε Conjunctivus vulgaris pro νὰ ἐξεύρητε. Vid. ad Dialogi vers. 13. — βατράχοι metri causa pro βάτραχοι.

V. 242. κάμνουνε vel κάμνουν i. q. κάμνουσι. — μάχη i. e. μάχην.

V. 243. κ' ἐμένα μὲ ἀπέστειλαν. In his verbis pronomen *me* dupliciter expressum est, ut saepe, quando quis cum emphasi loquitur. Ita Galli: *moi, il me parait* ἐμένα μὲ φαίνεται. Cf. David. Méth. p. étudier l. l. gr. mod. p. 71. — καθάρια pro καθαρίως *diserte, bona fide, nil mentiendo.*

V. 244. νὰ 'μπῆτε i. e. νὰ ἐμβῆτε 2. pers. pl. aor. conj. verbi ἐμβαίνω, vulgo ἐμπαίνω. — τὰ ἅρματα explicui ad vers. 221. — νὰ πιάσετε 2. pers. pl. conj. aor. act. pro eo quod eruditi antiquorum more scribunt πιάσητε. Vid. ad vers. 203.

V. 245. ἐμάθαν metri causa pro ἔμαθαν. — εἴδασι pro εἶδαν, i. e. εἶδον, *viderunt*. Crusius male vertit *sciunt* quasi

quasi legerit *οἴδασι*, cujus loco Zenus *ἠξεύρουσι* vel *ἠξεύρουν* dixisset. Sed in archetypo quoque est vers. 140:

εἶδον γὰρ καϑ' ὕδωρ Ψιχάρπαγα, ὅνπερ ἔπεφνεν. — *φονευμένον*, attice *πεφονευμένον*.

V. 246. *πνιμένον* omissa reduplicatione et ejecto *γ* pro *πεπνιγμένον*.

V. 247. De *ὁποῖον τὸν* dixi ad vers. 6. — *μὲ πονηριὰ'* i. e. *μὲ πονηρίαν, μετὰ πονηρίας*. — *κλέφτης* vulgariter pro *κλέπτης*. Cf. ad vers. 53.

V. 248. *ὁ ἐδικός σας* explicui ad vers. 20. — *ψεύστης* ex vulgi consuetudine pro *ψεύστης*.

V. 249. *ὀρδινία'* i. e. *ὀρδινίαν*. Vid. ad vers. 216.

V. 250. *ἀφίνω σας ὑγεία'* ad verbum: *relinquo vobis sanitatem*, hoc est, *valere vos jubeo*. Est haec nota abeuntium formula apud recentiores Graecos, pro qua antiqui simpliciter *ὑγίαινε* dicebant v. c. Aristoph. Eccl. 477. *Ἀλλ' εἶμι· σὺ δ' ὑγίαινε*. De verbo *ἀφίνω* cf. ad vers. 136.

V. 251. *τοῦτοι* vulgi more pro *οὗτοι*.

V. 252. *αἰτίαζαν* i. e. *αἰτίαζον*. Cf. adn. ad vers. 127. — *μέμφετον* i. q. *ἐμέμφετο*. Cf. ad vers. 123. — *καϑένας* recentiorum vocabulum pro *ἕκαστος* compositum ex *κατὰ* et *ἕνας*, de quo locutus sum ad Dialogi vers. 2.

V. 253. *εἶμαι 'γὼ* i. e. *εἶμαι ἐγὼ*, in quibus verbis *εἶμαι* usurpatur pro antiquo *εἰμί*, ut vidimus versu 45.

V. 254. *καϑῇ* 3 pers. sing. conj. aor. pass. verbi *κάζω*, de quo vide quae observavimus ad vers. 116. — De verbo *ἔμπασα* cf. notata ad vers. 22.

V. 255. De *κολυμπᾷ* cf. adn. ad v. 124. — *ἐβάλϑηκε* dilucidavi ad vers. 180. — *'σὰν ἐμᾶς* i. e. *ὥσπερ ἡμεῖς*. De accusativo *ἐμᾶς* addito voculae *'σὰν* dixi ad vers. 170. — *νὰ πλέγῃ* ut supra vers. 136.

V. 237. *εἰσὲ*, ut supra vers. 51. — *κανένα* expla-

navi ad vers. 57. — πρᾶμα forma plebeja pro πρᾶγμα. Sic et Anonymus de Nuptiis Thesei et Aemiliae lib. 5.

Τότες λαλεῖ τοῦ Πάμφιλου, φίλε τὸ πρᾶμα τοῦτο.

V. 258. ἂς quid sit, declaravi ad vers. 216. — κάμωμε' ex vulgi consuetudine pro κάμωμεν. — μαζωχθοῦμ' per apocopen pro μαζωχθοῦμεν, quae est 1 pers. pl. aor. conj. pass. verbi μαζόνω. Hujus formae loco antiquitatis studiosi μαζωχθῶμεν dicunt. De reliquo cf. quae ad vers. 187 commentati sumus.

V. 259. 'βροῦμε explanavi ad vers. 217. — ἁρματωθοῦμε pro ἁρματωθῶμεν. Vid. vers. praeced. et 226.

V. 260. τὸ παραπόταμο i. e. παραπόταμον in inferiore Graecitate significat *ripam*. Exempla vide ap. Ducang. Tom. I p. 1114. Vulgo nunc apud Graecos sic adhibetur τὸ παραποτάμι i. e. παραποτάμιον. Apud Heliodor. lib. X init. adhuc ex veterum usu ἡ παραποταμία intelligi debet de locis fluvio vicinis. — 'βρεθοῦμε' i. q. 'βρεθοῦμεν, 'βρεθῶμεν et εὑρεθῶμεν 1 pers. pl. aor. conj. pass. verbi εὑρίσκω.

V. 261. ἐλθοῦν metri causa pro ἔλθουν 3 pers. pl. conj. aor., cujus loco doctiores et vetustatis imitatores ἔλθωσι nunc adhibent. — μᾶς i. e. ἡμᾶς. — πολεμήσουν pariter 3 pers. pl. conj. aor. pro πολεμήσωσι.

V. 262. θέλομεν ἀντισταθῆ futurum periphrasticum verbi ἀντιστέκομαι *resisto*. Cf. adnot. ad verss. 117 et 193. — νὰ γνωρίσουν 3 pers. pl. conj. aor. act. pro γνωρίσωσι, quod Crusius antiquorum usum spectans interpretatur *ut cognoscant*. Dicendum erat: *ut bene nos cognitos habeant* cf. adn. ad Dialogi vers. 13.

V. 263. ὀλπίζω pro ἐλπίζω non infrequens est apud antiquiores poetas Barbarograecos. Vid. Ducang. Gloss. Tom. I p. 1040. Cf. praeterea adn. ad vers. 162. In ver-

bis κι ὀλπίζω νὰ τοὺς κάμωμε conj. aor. praecedente νὰ Infinitivi periphrasis est. Notandum vero, non solum post ἐλπίζω et similia verba, quae per se jam indicant futurum, sed etiam post alia, quibus *putandi, suspicandi, conjectandi, dicendi* significatio est tum, quum res futura designatur, ex quinque illis structuris, quae, ubi Infinitivus a scribente elegitur in vetere lingua usitatae sunt, duas solum in citeriorem Graecitatem transiisse. Quod ut rectius perspiciatur, quinque haec loquendi genera, quae post illa verba in antiquo sermone locum habere possunt, enumeremus, postea novitiae linguae usum explanaturi. Quae vel certis rerum causis, vel incertis conjecturis, vel probabilibus argumentis ducti futura esse statuimus, ea Graeci veteres aut pro rei ipsius, quae futura est, diversitate, aut pro hominum eam cogitantium diversis opinionibus sic variata loquendi ratione efferunt, ut modo nihil eloquantur, nisi simplicem futuri notionem, modo id, quod tanquam futurum proponitur, ex fortuita quadam conditione sive memorata sive subaudita suspendant, modo eventurum aliquid potius, quam non eventurum esse ob signa rationesque indicent. Ac per se quidem manifestum est, si certis rerum causis permoti futurum aliquid credamus, nullam requiri aliam juncturam, quam quae simplicem futuri temporis notionem contineat, hanc autem, ubi infinitivus necessarius sit, futuri infinitivo enuntiari. Neque minus planum est, si incertis nitamur conjecturis atque illud animo consideremus, quod aut eveniet aut non eveniet, prout ista, ex qua illud suspendimus, conditio rata fuerit vel irrita, tum vel aoristi vel praesentis Infinitivum addita particula ἄν ob sententiam postulari. Quae particula quum rei forte evenientis index sit, patet, nihil magnopere interesse, utrum tali enuntiationi diserte adjungatur conditio, an omittatur, quia, etiamsi non expressa con-

ditio est, tamen id quod infinitivo cum ἄν enuntiatur, sic tantum fieri posse dicitur, si cui conditioni satisfactum fuerit. Et aoristi quidem infinitivo cum hac particula utendum erit, si mentionem facimus actionis aut cito transiturae aut semel futurae, praesentis infinitivo, si loquimur de actione duratura vel saepius futura. Denique quae probabilibus ducti argumentis eventura esse colligimus, ea, quoniam mirum foret, si non acciderent, quia, cur accidere debeant rationibus probare possumus, exprimenda sunt nudis aoristi et praesentis infinitivis. In quo illud etiam evidens est, actionem istam, quamvis futuram, sic a nobis perspectam esse, ut si vel nunc fiat vel facta jam sit. Itaque Graeci et illa, quae nullius temporis propria sunt, sed omni aetate eodem modo solent contingere, si quando futura videntur et obliquae orationi inseruntur, hac dicendi forma notant. Est igitur ἐλπίζω αὐτὸν γράψειν *spero eum scripturum esse* ei dicendum qui minime dubiis rerum causis innixus, ita statuit. Contra ἐλπίζω αὐτὸν ἂν γράψαι *spero eum* (forte) *scripturum* is dicit, qui opinatur quidem alterum scripturum esse, sed scripturusne sit ille, an minus ignorat, quia scribendi actus ex conditione quadam pendet, qua aut impleta aut non impleta ille scripturus aut non scripturus est. Ab hoc ita duntaxat discrepat ἐλπίζω αὐτὸν ἂν γράφειν, ut omnino modi aoristorum a praesentium temporum modis differunt. Nam si ἐλπίζω αὐτὸν ἂν γράψαι cum ἐλπίζω αὐτὸν ἂν γράφειν comparatur, prius est *spero eum* (forte) *semel scripturum esse* vel *spero eum* (forte) *cito scripturum esse*, posterius: *spero eum diu scripturum esse* vel *spero eum saepius scripturum* i. e. si de epistolis agitur *spero eum commercium litterarum mecum initurum esse*. Denique ἐλπίζω αὐτὸν γράψαι et ἐλπίζω αὐτὸν γράφειν eodem praesentis et aoristi modo-

rum discrimine servato is dicit, cui varias ob causas probabile videtur, alterum scripturum esse, mirum putaturus, si non scriberet. Diutius huic argumento exponendo immoratus sum, quod etsi philologi passim attigerunt (v. c. G. Hermannus ad Sóph. Aj. v. 1061, Bremius ad Demosth. Olynth. α′ (γ′) § ϛ′, Heindorfius ad Plat. Phaedon. § 32 et Protag. § 19, a quibus exempla peti possunt) non tamen sic ab aliis explicatum invenio, ut mihi otium fecerint. Ex quinque illis loquendi modis duos retinuit recentior Graecitas. Liquet autem, quum ἄν illud δυνητικὸν evanuerit, quum porro antiquae futuri temporis formae obliteratae sint, quum denique infinitivus veterum in oblivionem abierit, nec nisi circumlocutione a recentioribus ejus sensus proferatur, hoc solum ex pristina copia inopiae solatium superesse, quod infinitivi circumlocutiones hic adhibere licet. Quamobrem nostrae memoriae Graeci duplici modo in tali causa loquuntur, aut ἐλπίζω νὰ γράψῃ, aut ἐλπίζω νὰ γράφῃ dicentes. Quae cave ne nihil aliud esse credas, quam hanc duplicem veterum dicendi rationem ἐλπίζω αὐτὸν γράψαι et ἐλπίζω αὐτὸν γράφειν. Etenim quoniam antiquorum futurum γράψω dupliciter pro duplici actionis natura, de qua dixi, in nostri temporis Graecitatem transfertur θέλω γράψει (θέλει γράψω, θὲ νὰ vel θα γράψω) et θέλω γράφει (θέλει γράφω, θὲ νὰ vel θὰ γράφω), perspicuum est, id quod veteribus erat ἐλπίζω αὐτὸν γράψειν pro actionis discrepantia nunc appellari ἐλπίζω νὰ γράψῃ et ἐλπίζω νὰ γράφῃ. Itaque ἐλπίζω νὰ γράφῃ respondet his antiquorum loquendi formulis ἐλπίζω αὐτὸν γράφειν, ἐλπίζω αὐτὸν ἂν γράφειν et ἐλπίζω αὐτὸν γράψειν atque ἐλπίζω νὰ γράψῃ veterum locutionibus ἐλπίζω αὐτὸν γράψαι, ἐλπίζω αὐτὸν γράψαι ἄν et ἐλπίζω αὐτὸν γράψειν. — ἐμποῦσι vel ἐμποῦν 3 pers. pl. aor. conj. verbi ἐμπαίνω

vel ἐμβαίνω. Eruditiores ἐμβῶσι usurpant antiquam formam retinentes.

V. 264. πνιγοῦσι pro πνιγῶσι 3 pers. pl. aor. conj. pass. verbi πνίγω.

V. 265. νὰ ἐορτάσωμιεν periphrasis futuri, ut vidimus ad vers. 22.

V. 266. ἀπωλειὰ' i. e. ἀπολείαν ex synizeseos legibus, sed ἀπώλειαν, si significatus rationem habemus.

V. 267. ἐτοῦτος vulgariter pro οὗτος. — ἔπαψε i. e. ἔπαυσε. Vid. ad vers. 119. — ἀκοῦσι forma syncopen passa pro ἀκούουσι, quam sicut alias hujus generis vulgus celebrat. Videsis Coraem ad Ptoch. p. 104, 133 et 134. Est autem ἀκοῦσι nostro loco praesens historicum, quod Crusius perfecto reddidit.

V. 268. ἁρματωθοῦν forma vulgaris 3 pers. pl. conj. aor. pass. pro ἁρματωθῶσι, quod verbum explicui ad vers. 226. — ἐβάλθησαν aor. pass. verbi βάνω, quod proprie *ponendi* potestatem habet, verum si ejus passivum sequente νὰ cum conjunctivo usurpatur, hoc vocabulum respondet fere Gallorum loquendi formulae: *se mettre à*, velut hic ν' ἁρματωθοῦν ἐβάλθησαν gallice sonabit: *ils se mirent à s'armer, se armare coeperunt.* — τὸ βότανον deterioris Graecitatis vox, quae et hodie usitata est *herbam* significans, cujus vicem tamen et ἡ βοτάνη et τὸ βοτάνιον (cf. v. 101) antiquorum voces pro arbitratu loquentis explere possunt. — 'ποῦ *quibus*. Sic infra vers. 268. — ζοῦσι i. e. ζῶσι. —

V. 269. ηὗρασι explicui v. 227.

V. 270. κοχλιῶν hic est a nom. sing. κοχλιός, cujus loco veteres κοχλίον vel κόχλος dicebant. Quum in archetypo quoque κοχλίων sit, miror Crusium κοχλιῶν τὰ

ὄστρακα interpretatum esse *testudinum testas*. Interpretari debebat: *limacum conchas* vel, quod idem est, *cochlearum testas*. — ἔβαλαν i. q. ἔβαλον.

V. 271. Quod a veteribus appellabatur σεῦτλον vel ut hic in archetypo est (vers. 161) τεῦτλον, id hodie vulgo σεῦκλον nuncupatur. Sic jam Agapius Cretensis in Geoponico cap. 91, 93, 109 et alibi. Fuerunt tamen inter Graecos, qui et σέσκλον dicerent. Quare in Corona pretiosa, quam antestatur Ducangius Tom. II p. 1356. σέσκλο exponitur voce σεῦτλον. Itaque servavi in textu raram hanc dictionem, quae *betam* designat. — ἐκάμασι pro ἔκαμαν i. e. ἔκαμον.

V. 272. νεροσέλινον *apium aquaticum*, novitia locutio composita ex νερόν, de qua voce egi ad vers. 60 et antiquo vocabulo σέλινον. Cf. Ducangium, si volupe est, Tom. I p. 992. — μανίκιον *manica* Latinorum vocabulum est, sed ex vulgi Graecorum consuetudine in deminutivum transformatum. Utuntur eo Mauricius lib. I Strateg. cap. 2. Leo in Tactic. c. 6 §. 13. Symeon Thessalonic. de Sacris. Ordin. cap. 5. Codinus de Offic. cap. 7 num. 35, 36. Euchologium pag. 358. Ptochoprodr. contra Hegumenum vers. 53 pag. 17 ed. Corais et alii permulti. Vid. Ducang. in Gloss. med. et inf. Gr. Tom. I p. 870 et in Gloss. med. et inf. Lat. s. v. *manicium*.

V. 273. κραμβόφυλλα uno nomine reddit quod in archetypo vers. 162 per periphrasin φύλλα τῶν κραμβῶν exprimitur. Citatur et forma κραμπόφυλλον a Ducangio I p. 751 ex Cod. Paris 1673, ad quam explicandam cf. quae vers. 102 diximus. — ἐσχίσασι ut supra vers. 222. — De σκουτάρια cf. quae observavi ad vers. 223.

V. 274. βοῦρλον hodie usitatissima dictio, *juncus*, antique σχοῖνος. Inveniuntur praeterea formae βροῦλον sive

βρουῦλλον, βρύλον, βρύελον et aliae. Vide Ducang. I p. 228 et Corais Ατακτ. Tom. IV p. 66 et 714. Fortasse βρύελον forma primitiva est, διότι βρύει, ut Corais verba ponam, καὶ δασύνεται εἰς τὰ ἕλη. λέγει ὁ Ἡσύχιος „βρυῶδες, δυσῶδες (γρ. δασῶδες)". — ἀγγελωτός forma vulgaris, quae jam fere inusitata est, pro ἀγκυλωτός *curvus* et *acutus*. Posterior notio in hunc locum quadrat. Orta est autem ex illa, quam habet Euripides Bacch. 1194. Barbara ista forma utitur, ut alios taceam, Anonymus de Nuptiis Thesei lib. I:

φοβόντας (corr. φοβῶντας) ταῖς ἀγγελωταῖς τῶν γυναικῶν σαΐτταις.

De reliquo conf. adn. ad vers. 214.

V. 275. ἁρματωξήκασι vulgariter pro ἁρματώξησαν. Vid. ad vers. 226. — ἐστάξησαν aor. verbi recentioris στέκω vel στέκομαι, ut vidimus versu 193.

V. 276. δίχως *sine, absque* a recentioribus ex antiquorum adverbio δίχα formatum est. — De pronomine κανένας cf. quae exposuimus ad vers. 57.

V. 277. καὶ δύναμί ἡ καρδιά τους pro καὶ δυνάμεως ἡ καρδία αὐτῶν. In voce δύναμις terminatio genitivi hic omitti poterat propterea quod plebs non τῆς δυνάμεως sed τῆς δύναμης dicit. Cf. Davidis Méth. p. ét. l. l. gr. mod. p. 22. Quum vero nominativus singularis hujuscemodi nominum a vulgo interdum sine ς proferatur, cujus rei unum sufficiet exemplum attulisse ex adn. 15 p. 486 Tom. II Carminum popularium a Faleriale editorum, ubi legimus: τὸ φωνῆεν μὲ τὸ ὁποῖον τελειώνει ἡ λέξι id est λέξις, (cf. praeterea vers. 57.) haud difficile ad intelligendum est, genitivi quoque ς abjici posse, qui in plebis loquela eodem modo ut nominativus pronunciatur, licet scriptura discrepet. Quod quia fieri potuit, articulus ἡ ipsum etiam η vocabuli δύναμη absorpsit.

V. 278. *ἀναίβαιναν, καταίβαιναν* Imperfecta verborum *ἀναιβαίνω* et *καταιβαίνω*, quae in plebeja loquendi ratione pro *ἀναβαίνω* et *καταβαίνω* usitata sunt. Eodem modo jam antiquorum poetae *καταιβασία, καταίβασις, καταιβάτης* pro *καταβασία, κατάβασις καταβάτης* dixerunt. — *δεῖχναν* Imperf. verbi *δείχνω*, de quo locutus sum ad vers. 100. — *ἀνδρειά'* per synizesin et apocopen pro *ἀνδρείαν*.

V. 279. *ὁ Δίας* i. e. *Ζεύς*, cf. adn. ad vers. 28.

V. 280. *ἐκάθετον* 3 pers. sing. imperf. verbi recentioris *κάθομαι sedeo* ex antiquo *καθίζομαι* breviati. De barbara adjectione litterae *ν*, qua *ἐκάθετον*, non *ἐκάθετο* scriptor dixit, cf. quae exposuimus ad vers. 123.

V. 281. *καλὰ* i. e. *καλῶς*. — *τῶν ἀρμάτων* vid. observ. ad vers. 221.

V. 282. *μέλλει νὰ γένῃ* futurum periphrasticum. Est autem *γένῃ* 3 pers. sing. aor. conj. verbi *γίνομαι*.

V. 283. *θωρῶ* explicui ad vers. 25. — *ἀγριωμένοι*, antique *ἠγριωμένοι*.

V. 284. *ὥσπερ τοὺς γίγαντες*. Vid. supra ad vers. 170. — *ἠχοῦν* i. e. *ἠχοῦσι*. — *ὁποῦ 'σαν* i. e. *ὁποῦ ἦσαν*. — *θηριωμένοι*, antique *τιθηριωμένοι*.

V. 286. *ἀπάνου* hic propter loci rationem reddi potest *adversus*, sic et infra versu 404; sed quid proprie sit, dixi ad vers. 120.

V. 287. *γεμάτος plenus, refertus*, adjectivum addita latina positione ab antiquorum verbo *γέμειν* derivatum. Cf adn. ad vers. 65. — *ταυρίον* rarum deminutivum nominis *ταῦρος*, quamquam non pro *taurulo*, sed pro *tauro* accipiendum. Vid. observ. ad vers. 6.

V. 289. *ξωτῶ* vulgariter pro *ἐρωτῶ*. Alia exempla vide in Ducang. Gloss. med. et inf. gr. Tom. II p. 1314. — *'πέτε* i. e. *εἰπέτε*. Cf. Dialogi vers. 11.

V. 290. γένετε 2 pers. pl. conj. aor. verbi γίνομαι. Pro hoc γένετε doctiores γένητε scribunt.

V. 291. θυγατέρα pro vocativo hic ponitur. Cf. animadversionem ad vers. 49.

V. 292. θαῤῥετός explanavi ad vers. 62. — ἐτούτην τὴν ἡμέρα vulgariter pro ταύτην τὴν ἡμέραν.

V. 293. τῶν μυῶν gen. pro dativo, ut saepe in hoc carmine vidimus.

V. 294. σκιρτοῦν, antique σκιρτῶσι. — θωρῶντες i. e. θεωρῶντες, antique θεωροῦντες. Vid. supra ad vers. 123 ac de vicissitudine sonorum ω et ου jam in antiquorum dialectis obvia Matth. Gr. Gr. p. 51 ed. II.

V. 295. ὁποῦ 'ν' i. e. ὁποῦ ἔνε vel εἶναι. Fortasse Zenus δωρικώτερον hic ὁπῶ 'ν' pro ὁποῦ 'ν' scripsit, quod conjicias licet ex corrupta scriptura ὁπόν, quae usque adhuc in textu erat.

V. 296. τὸ βράδυ proprie neutrum adjectivi βραδύς, quod retracto accentu substantivi vim accepit, ut nunc apud Graecos, ita jam in multis medii aevi monumentis *vesperam* notans. Cf. Ducang. Gloss. s. h. v. Copiosius de hac voce disserui in Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik Num. 59 mens. Mart. ann. 1834 pag. 468. — μαζόνονται congregantur. Vid. ad vers. 187. — De καθένας cf. quae diximus ad vers. 252.

V. 297. ἀποκρίθηκε explicui v. 37. — De ἀκριβέ conf. observ. ad vers. 209.

V. 298. De ποτέ μου jam locutus sum ad vers. 75.

V. 300. φέρνουσιν i. e. φέρουσιν. Vid. ad vers. 74. — καθ' ὥρα' i. e. καθ' ὥραν eodem sensu accipiendum, quo veteres usurparunt. Videsis Hermann. ad Vig. p. 860. Sed recentiores sic loquentes minus solent de praepositione κατὰ, quam de pronomine indeclinabili κάθε cogitare, ita

ut plena verba sint κάϑε ὥραν, quod ipsum κάϑε ortum est ex καϑ' ἕν, ac ponitur pro veterum ἕκαστος. Neque tamen obsolevit iste, de quo agimus, praepositionis κατὰ in recentiore sermone significatus, sed in multis certe loquendi generibus adhuc servatur. Itaque eum non omisit Darvaris in Γραμματικῇ Ἁπλοελλ. p. 326.

V. 301. τὸ λάδι *oleum*, antique ἔλαιον. Originem trahit hoc vocabulum ab ἐλάδιον, quod jam apud Epictet. Diatr. III, 10, 16 pro *pauxillo olei* accipitur. — φϑέρουν, antique φϑείρουσι, ut supra vers. 207. Cf. adn. ad v. 74. — καντίλα vel, ut alii scribunt, καντήλα, pro quo et καντδήλα in usu est, *lucerna olearia*. Etsi vero omnes illico perspiciunt, hoc vocabulum a latino *candelae* nomine fluxisse, tamen nunquam id sonat quod veteribus Latinis *candela* est. Distinguuntur scilicet jam apud medii aevi scriptores τὰ κηρία et αἱ καντδῆλαι ut in Pentecostario ὁ καντδηλάπτης ἅπτει τὰ κηρία πάντα καὶ καντδήλας. Cf. Ducang. Gloss. med. et inf. Gr. Tom. I p. 570 et Gloss. med. et inf. Lat. s. v. *candela*.

V. 302. μαντίλα *mantile*, quam vocem media aetate Graeci a Latinis mutuati sunt. Cf. Ducang. Gl. med. et inf. Gr. p. 868.

V. 303. βρίσκουσι per aphaeresin pro εὑρίσκουσι. — πᾶνε vel πᾶν vulgariter pro πάγουν i. e. πάγουσι 3 pers. pl. praes. ind. verbi πάγω ex veterum ὑπάγω per aphaeresin breviati. πάγω plerumque est *eo, vado*; hic, quoniam cum accusativo construitur, vertendum est *invado*, ἐπιβαίνω, ἐπέρχομαι.

V. 304. περίσσα metri causa pro περισσά i. e. περισσῶς.

V. 305. ἐκάπιασα per synizesin, quam in hac voce plebs amat, pro ἐκοπίασα. Cf. adn. ad Dial. vers. 1. In

recentiore graecitate κοπιάζω *laborandi, sudandi, fatigandi, conficiendi* vim et potestatem habet. Praeterea *eundi* notio in quibusdam loquendi formis ei tribuitur v. c. κόπιασε, σὲ παρακαλῶ *veni, quaeso* κοπιάσετε μέσα *intrate.* — κατάψιλος tenuissimus, subtilissimus. — στημόνι i. e. στημόνιον.

V. 306. ἀτή μου i. e. αὐτή μου. Jam Ptochoprodromus ἀτός pro αὐτός usurpavit barbare insuper adjecto genitivo pronominis alicujus personalis, ita ut dicat ἀτός μου pro αὐτὸς ἐγώ, ἀτός σου pro αὐτὸς σύ, ἀτός του pro αὐτὸς οὗτος vel αὐτὸς ἐκεῖνος. Nam lib. II vers. 586 p. 35 ed. Cor. dicit:

ἀτός του γίνεται ἰατρὸς καὶ τάδε παραγγέλλει.

Cf. Coraem ad h. l. et ad lib. I vers. 127 p. 116. Similiter apud Homerum αὐτάρ et ἀτάρ promiscue adhiberi omnibus notum est. Zenus noster in hoc tantum a Ptochoprodromo discrepat, quod non solum ἀτή μου pro αὐτὴ ἐγώ hic ponit, sed etiam ipsum ἐγώ superaddit, quasi nesciens, id supervacuum esse propter ea, quae dicturus est ἀτή μου.

V. 307. φόρεμια vocabulum natum ex veterum φόρημια ut ξερός ex ξηρός, πλερόνω ex πληρόω. Est autem φόρεμια apud recentiores *vestis.* Cf. Acta Concilii Florentini pag. 8 ed. Labbei. Fabulae Aesopi barbarograecae p. 135 ed. Venet. ann. 1644. Malaxus in hist. Patr. pag. 158. Codinus de Offic. cap. 4 n. 15 cap. 6 n. 29. — κατάλευκο᾽ i. e. κατάλευκον *candidissimum.* — φουστάνι sic interpretatur Ducangius Gloss. med. et inf. Gr. Tom. II p. 1700: φουστάνη (corrige φουστάνι) *fustana,* panni species, de qua in Glossario med. Lat." At est fere id vestimenti genus, quod *pallam* Romani appellarunt. Originatio vocis multis eruditorum dubia videtur. Plerique

eam ab orientis populis ad Graecos atque inde ad Barbarolatinos, qui *fustanum, fustanetum, fuscanetum,* dixerunt, transiisse censent. Sed vide, ne forte tale vestimentum a fusco colore appellatum *fuscanum* primitus, subaudito pallii nomine, a Latinis dictum sit, a quibus aliae gentes hanc dictionem postea mutuatae sint

V. 308. ἔκαμαν i. e. ἔκαμον.

V. 309. ὅλο᾽ i. e. ὅλον. — ἐκατάφαγαν i. e. κατέφαγον, vel κατέτρωξαν, quod in archetypo est. — ἐκάμα᾽ propter metrum et finalem versuum concentum pro ἔκαμαν.

V. 310. ὕγιος rarior forma pro ὑγιής apud vulgum olim usitata, quam lexicographi adnotare neglexerunt.

V. 311. ὁμάδι vel ut apud alios antiquiorum poëtarum legitur ὁμάδιν (cf. Cor. Ἀτακτ. Tom. II p. 272) adverbium est, significans *simul,* quod, quum certum ejus etymon sit a veterum substantivo ὁμάς, ex deminutivo ὁμάδιον, ὁμάδιν, ὁμάδι in adverbii significatum transierit necesse est.

V. 312. δανείστηκα vel δανείσθηκα vulgaris aor. pass. pro ἐδανείσθην, qui locum antiqui aor. med. ἐδανεισάμην hic tenet. — τὸ ὑφάδι vel ὑφάδιον hoc loco non *textum,* neque *tramam* aut *subtemen,* sed *texendi materiam* valet. Caeterum cf. Lobeck. ad Phryn. p. 74.

V. 314. ζητᾷ i. e. ζητεῖ. Vid. ad vers. 38. — De περσότερο᾽ i. e. περισσότερον jam locutus sum ad vers. 79. — ζοῦρα, antique τόκος, apud vulgum sine dubio multis abhinc saeculis jam invaluit, postquam a Romanis *usurae* vocem audivit. Ducangius Gloss. Tom. I p. 1029 et 1064 memorat praeterea formas non amplius usitatas ὀζοῦρα et οὐζοῦρα, sed quod mirum, eadem utrobique Joannicii Cartani ex serm. 5 de avaritia pro testimoniis verba allegat altero loco ὀζοῦρα, altero οὐζοῦρα exarans. Priore videlicet loco haec habet καὶ θέλεις ἰδῇ τινας πλουσίους ὁποῦ δί-

δουν τῶν ἐπτωχῶν διὰ ὀξοῦρα, posteriore autem haec: καὶ θέλεις ἰδεῖν πολλοὺς πλουσίους ὁποῦ δίδουν τῶν πτωχῶν διὰ τὴν οὐξοῦρα. Quomodo prior locus ex posteriore corrigendus sit, facile intelligitur. Quare reliquis mendis et illud adnumerandum censeo, quod illic ὀξοῦρα pro οὐξοῦρα scriptum exstat. — νὰ πλερώσω conj. aor. act. verbi πλερόνω ex antiquo πληρόω derivandi. Hoc πλερόνω in inferioris aevi graecitate *pecuniam solvendi*, *persolvendi*, *pendendi* notionem habet, a quo distingui oportet πληρόνω, id est *impleo*. Ejus discriminis ignarum fuisse Ducangium videmus, qui quae attulit s. v. πληρώνειν (scribe πληρόνειν) exempla, ea omnia ad πλερόνειν referenda sunt. Etsi enim cum πληρόνω et πλερόνω notavit, tamen promiscue ea verba adhiberi opinatus est.

V. 315. ἐκάκισα non est *insector*, ut Crusius vult, sed *vitupero*. — ἔχω τοὺς ἐχθρία *inimicitiam adversus eos gero*. Crusius sensum tantummodo reddidit, sic vertens: *eis inimica sum*. In his verbis ἐχθρία pro ἔχθρα barbarum est atque hodie non amplius usitatum.

V. 317. καλὰ καί *quamvis, quamquam, licet*. Vid. quae notavimus ad vers. 213. — ὀργίστηκα vulgaris aor. pass. verbi ὀργίζω pro ὠργίσθην. — ὦ Δία cf. vers. 279.

V. 318. βορθάκων metri causa pro βορθακῶν. — καμμία explicui ad vers. 57.

V. 319. ἄγνωστοι recentiore significatu est *demens, stolidus, inconsideratus*. Apud Hesychium legitur ὀνοδέστεροι, ἄγνωστοι, quod nemo ejus interpretum percepit. At nihil captu facilius. Corrigendum, ut jam observavit Coraes in Γλωσσογραφικῆς ὕλης δοκιμίῳ pag. 10 Tom. II Ἀτακτ. ὀνωδέστεροι, ita ut sit comparativus adjectivi ὀνώδης; ἄγνωστοι autem Hesychio sunt *dementes*. Itaque eos qui mente asinis quam hominibus similiores sunt (τοὺς ὀνωδε-

στέρους) alio epitheto explicationis causa addito *dementes* appellat. Ex hoc multisque aliis exemplis ostendi potest, Hesychium sine recentioris linguae graecae ope a nemine probabiliter emendari posse.

V. 321. ἀδύναθ' εἶναι τό 'καμιαν κ. τ. λ. i. e. ἀδύνατον εἶναι νὰ λησμονήσω ἐκεῖνο, τὸ ὁποῖον ἔκαμαν εἰς ἐμέ *fieri non potest, ut, quod fecerunt in me, obliviscar.* In his verbis λησμονῶ citerioris graecitatis vocabulum est ex notissimo antiquorum adjectivo λήσμων formatum. Etenim *obliviscendi* notio nunc semper ista voce exprimitur, quae in locum τοῦ λανθάνεσθαι suffecta est, siquidem apud nostri temporis Graecos nihil sonat, λανθάνομαι nisi *pecco, erro* et *fallor.*

V. 322. μιὰ' per synizesin et apocopen pro μίαν. — ἄφησαν aor. ind. act. verbi ἀφίνω ex antiquo ἀφίημι formati. — τὰ 'μιάτια explicui ad vers. 128.

V. 323. πόλεμου metri causa pro πολέμου. — ἐρχούμουνα forma plebeja pro ἠρχόμην *veniebam.* — ἤμουν ex plebis consuetudine pro ἤμην i. e. ἦν *eram.* — Κοπιασμένη part. perf. pass. verbi κοπιάζω omissa reduplicatione pro κεκοπιασμένη i. e. *fatigata, defessa.* Cf. adnot. ad vers. 305.

V. 324. ἐδεήθηκα vulgi more pro ἐδεήθην. — ὀργισμένοι part. perf. pass. verbi ὀργίζω pro ὠργισμένοι, sed longe alio, quam in antiqua lingua significatu. Est enim ὀργισμένος h. l. *exsecratus, exsecrabilis.*

V. 325. Ὀλημυκτῆς adverbium est significans: *per totam noctem.* Constat autem haec dictio ex adj. ὅλος et recentiore voce νύκτα, quae primam declinationem sequitur. Vid. observ. ad vers. 28. Similiter plebs nunc dicit ὁλημερῆς et ὁλημερνῆς *per totum diem.* — ἐφώναζαν Imperf. act. verbi novitii φωνάζω, pro quo antiqui φωνέω dixerunt.

Cf. Coraem de hoc verbo disputantem Ἀταξτ, Tom IV p. 665. Duplex fere potestas hujus verbi est, altera *vociferandi, clamandi, vocem emittendi*, altera *vocandi* et *advocandi*. Quum prior hic locum habeat ac de ranis agatur, ἐφώναζαν cum Crusio verti: *coaxabant*. — ἐκάναν metri causa pro ἔκαναν, ut supra versu 157.

V. 326. ἔξυπνη fem. pro ἔξυπνος. Cf. adn. ad v. 48. Nove hic ἔξυπνη est *insomnis*, quamvis vetustus vocabuli sensus nondum apud Graecos interierit. — ἐκείτουμουν vulgariter pro ἐκειτόμην i. e. ἐκείμην. Nam κείτομαι nunc celebratur pro κεῖμαι, a quo derivatum est. Sed κεῖμαι hodieque ad certas quasdum res enunciandas in pluribus dicendi generibus applicatur, velut ὧδε κεῖται *hic situs est* de mortuis dicitur. — ἀδημονιὰ᾽ i. e. ἀδημονίαν. — ἐβάναν metri causa pro ἔβαναν ut versu 158.

V. 327. ἤμουνα i. q. ἤμουν de quo vide vers. 323. — ἀγρυπνιὰ᾽ per synizesin et apocopen pro ἀγρυπνίαν.

V. 328. κεφάλι i. e. κεφάλιον.

V. 329. ἂς παύσωμιε᾽ i. e. παύσωμεν, in archetypo vers. 192 παυσώμεσθα. Tenendum enim, activum verbi παύω nostro tempore apud Graecos et transitivum et intransitivum esse, quae res, ut in multis aliis verbis, ita in hoc effecit, ut ejus passivum inusitatum jam sit. Caeteroqui notum est, epicos poetas jam antiquo tempore sic activo esse usos, (Cf. Odyss. lib. IV, 659. Hesiod. scut. Herc. v. 449); ex attica dialecto autem solum imperat. praes. παῦε huc pertinere. Cf. Aristoph. Ran. 122, 269, 580. — De vocula ἂς disserui ad vers. 216. — βοηθοῦμιε᾽ vulgariter pro βοηθῶμεν.

V. 330. ἐσμίξασι 3 pers. pl. aor. ind. act. verbi recentioris σμίγω ex antiquo μίσγω litterarum transpositione orti. Cf. adnot. ad vers. 78. De hujusmodi formis, qualis

qualis hic est ἐσμίξασι pro ἔσμιξαν, locutus sum ad vers. 9. Accipiendum est ἐσμίξασι intransitivo significatu. Nam frequenter σμίγω *me misceo* verti potest. Quodsi initium proelii jam factum esset, verterem ἐσμίξασι *manus conseruerunt*. At nondum pugnant, id quod ex sequentibus patet. Porro hoc verbo paraphrastes noster reddit quae in archetypo vers. 194 sic sonant: εἰσὶ γὰρ ἀγχέμαχοι, *sunt enim cominus pugnantes,* quod quidem improprie de iis dictum videri possit, qui nondum pugnant; sed quoniam ἀγχέμαχος adjectivum est, eum indicat qui cominus pugnare solet, si pugnat. Quum igitur utraque acies nondum conflixerit, quid restat aliud, quam ut ἐσμίξασι vertamus: *acies admodum inter se propinquae sunt;* licet manifestum sit, Zenum hic non satis apte locutum esse. — λαβωθοῦμε' vulgariter pro λαβωθῶμεν 1 pers. pl. aor. conj. pass. verbi novitii λαβόνω transpositione vocalium et insertione τοῦ ν ex antiquorum λωβάω, cujus loco λωβάομαι usitatius fuit, formati. In citeriore Graecorum lingua λαβόνω designat *saucio, vulnero.*

V. 332. πᾶσα ἕνας idem quod πᾶσα εἷς, de quo egi ad vers. 197. — χαρὰν μεγάλη' νά 'χῃ i. e. χαρὰν μεγάλην νὰ ἔχῃ.

V. 333. ἀκοῦσαν metri causa pro ἄκουσαν i. e. ἤκουσαν.

V. 334. πήγασι i. e. πῆγαν vel ἐπῆγαν 3 pers. pl. aor. ind. verbi πηγαίνω ex ἐπιβαίνω, vel quod idem apud recentiores est, πάγω, ex antiquo ὑπάγω nati. — σὲ eo, quo hic ponitur, sensu jam legimus Dialogi vers. 9. — θωροῦσαν vulgariter pro θεωροῦσαν (cf. vers. 25), antique ἐθεώρουν 3 pers. pl. Imp. ind. act. verbi θωρῶ. De hoc imperfectorum flexu cf. observata ad vers. 210.

V. 335. ἐσαλπίσαν metri causa pro ἐσάλπισαν.

V. 336. *ἐκτυπῆσαν* metri causa pro *ἐκτύπησαν* aor. 1 verbi *κτυπῶ*, cujus loco veteres aor. 2 *ἔκτυπον* ponere solent. Haec vero loquendi ratio *πόλεμον ἐκτύπησαν* deterioris graecitatis est.

V. 337. *ἤτορε* explicui v. 14. — De adjectivo *γεγαάτος* dixi ad vers. 287.

V. 338. *Λειχήνορα* genitivus est dativi vice fungens a nom. *Λειχήνορας*. Ita enim nomen *Λειχήνωρ* ob vulgaris linguae proprietatem mutandum censuit Zenus. Vid. quae observavimus ad vers. 28. — *ἔδωσε* i. e. *ἔδωκε*; *ἔδωσα* recentiorum est aoristus, qui tamen *ἔδωκα* quoque dicunt. — *κονταρία*, vulgo *κονταριά*, recentior vox, ictum designans, qui hasta infligitur. Cf. vers. 224.

V. 339. *τὰ συκωτοπλέμιονια* per synizesin et ob rationem metricam pro *συκωτοπλεμόνια*. Est autem *τὸ συκωτοπλεμόνιον jecur*. Constat hoc vocabulum ex adj. *συκωτός ficis conditus*, ex quo recentiores substantivum *τὸ συκώτι* vel *συκώτιον jecur* finxerunt, et vulgari deminutivo *πλεμόνι* vel *πλεμόνιον*, quod omisso *ν*, sed servato pristino significatu ab antiqua locutione *πλεύμων* manavit. Rem, quae prima fronte admodum mira videtur, declarabo verbis Delèquii in Dict. Gr. mod. fr. s. v. *συκώτι*. Ait ille: „Le foie d'un animal engraissé avec des figues, *ἧπαρ συκωτόν*, étant un mets très-usité chez les anciens, *συκωτόν* a pris à la longue la signification de foie en général; de même, dans *Jecur ficatum*, l'adjectif a prévalu. Les Italiens en ont fait *fegato*, et nous, *foie*." Cf. Salmas. ad Solinum pag. 1319. — *ξαπλωμένος* part. perf. pass. verbi *ἐξαπλόνω*, quod inserto *ν*, ab *ἐξαπλόω* fluxit.

V. 340. *ἐκορνιακτίστηκε* vulgariter pro *ἐκορνιακτίσθη* aor. pass. verbi *κορνιακτίζω*, plebeja depravatione ex *κονιαρκτίζω* nati. Hoc ipsum *κονιαρκτίζω* derivatum est a *κονιαρ-*

τός, pro quo veteres κονιορτός dixerunt. Verbum hoc designat: *pulverem excito, pulvere conspergo, pulvero.* — De participio ἀποθαμμένος quid judicandum sit dixi ad vers. 13.

V. 341. ἔμπηξε i. e. ἐνέπηξε. Praesens hujus verbi hodie est ἐμπήγω vel ἐμπήχνω.

V. 342. ὁποῦ' τον pro ὁποῦ ἦτον i. e ὃς ἦν. — Vocem παλληκάρι illustravi supra vers. 6.

V. 343. γλίγωρα *cito, celeriter.* Aeque usitatum est ὀγλίγωρα, quod ex ὀλίγῃ ὥρᾳ exstitisse, planum atque evidens est. — ἐκψυχῶ idem sonat quod ξεψυχῶ. Vid. vers. 90.

V. 345. ἐφονεύθηκε populariter pro ἐφονεύθη.

V. 346. ἐκοντάρεψε vulgi more pro ἐκοντάρευσε. Cf. vers. 119. κονταρεύω valet: *hasta percutio, jaculo ico.*

V. 347. βλέποντα, hodie βλέποντας i. e. βλέπων. De indeclinabili hoc participio linguae vulgaris quaedam exposui ad vers. 106. — θαμμένος i. q. ἀποθαμμένος, quod legimus vers. 340.

V. 348. ἐλυπήθηκε ex vulgi consuetudine pro ἐλυπήθη. — καρτερῶ, cujus loco Ducangius Tom. I p. 596 mendose καρτηρῶ scribit, recentioribus est *exspecto,* et *sustineo.* Hic exspectandi vim habet. Igitur verba δὲν ἐκαρτέρει πλέον antique sic enuncianda sunt οὐκέτι ὑπέμενε.

V. 349. ὀξύβουρλο' i. e. ὀξύβουρλον *juncum acutum* designat. Conflata est haec vox ex ὀξύς et βοῦρλον, de quo egi ad vers. 274. — κονταριὰ' i. e. κονταριάν explicui vers. 338.

V. 350. De ἐκτύπησε vid. ad vers. 336.

V. 351. ἔφθασε *accurrit.* Cf. adn. ad vers. 237. — De recentiore significatu vocabuli ἦθος exposui ad vers. 105.

V. 352. *μπῆκε*, pro quo et *ἐμπῆκε* et *ἐμβῆκε* dici poterat, aor. verbi *ἐμβαίνω*, vulgo *ἐμπαίνω* sive *μπαίνω*. cf. ad vers. 114. — *χωρὶς τήρησι'* i. e. *τήρησιν sine cautione*, quae deterioris graecitatis significatio est.

V. 353. *ἐπίτυχε* i. e *ἐπέτυχε*. — De *μέσα εἰς* dixi ad vers. 73.

V. 354. De voce *ὀμπρός* disputavi ad vers. 24. — *ἐξαπλώθηκε* explicui vers. 178. — *ἔχασε* quid nostro tempore apud Graecos valeat, dixi vers. 116. — *λαλίαν* metri gratia pro *λαλιάν*.

V. 356. *καταφονευμένον* i. e. *καταπεφονευμένον* omissa reduplicativne, ut solent recentiores.

V. 357. *ὁποῦ 'τονε* pro *ὁποῦ ἦτονε*. — *μακρέα*, vulgo nunc *μακρειά* neutrum pl. adjectivi *μακρύς*, *μακρειά*, *μακρύ*, quod tamen vicem adverbii *μακράν* hic explet. Adjectivi *μακρύς* exempla ex mediae aetatis scriptoribus collecta vide ap. Ducang. T. I p. 855.

V. 358. *δῶσε* omisso augmento pro *ἔδωσε* i. e. *ἔδωκε*. Vid. adn. ad vers. 338. — *κονταρέα*, vulgo *κονταριά* ut vidimus vers. 338. Legitur *κονταρέα* apud Theophan. an. 17. Heraclii *ἐπληγώθη ὑπὸ τῶν πεζῶν ὁ βασιλέως ἵππος - - - εἰς τὸν μηρὸν αὐτοῦ λαβὼν κονταρέαν*.

V. 359. *πάλι* pro *πάλιν*, ut vers. 24. — *ἐμετάδραμε* i. e. *μετέδραμε*. — *σόνει invadit*. De hoc verbo pluribus disserui ad vers. 92.

V. 360. *τονὲ* vulgariter pro *τον* i. e. *αὐτόν*, ut jam vidimus vers. 162. — *λαβόνει vulnerat*, praesens historicum. De hac voce vide observata ad vers. 330.

V. 361. *γυρίζει convertit se*. Cf. ad vers. 119. — Κοστόφαγος metri causa pro Κοστοφάγος.

V. 362. *ἔδωσε*, ut supra vers. 338. Videtur prima specie ellipticus loquendi modus pro *ἔδωσε πληγήν*. Sed haec

ellipsis nominis πληγὴ non semper quadrat, siquidem Graeci recentiores simplex verbum sic ponere consueverunt non solum de verberibus loquentes, quae quis manu aut baculo alteri infligit, sed etiam de telorum, lapidum aliarumve rerum conjectu. Cf. vers. 399. In his omnibus loquendi generibus nihil subaudiendum est. Similiter nos: *er gab ihm eins.* Alia ratio est loci Aeschylei Agam. 1393:

παίω δέ νιν δίς· κἀν δυοῖν οἰμώγμασιν
μεθῆκεν αὐτοῦ κῶλα· καὶ πεπτωκότι
τρίτην ἐπενδίδωμι

ubi ob vocem τρίτην nomen πληγὴν in verbo παίω latere eoque quasi latenter dici recte statuit Hermannus in dissertatione de ellipsi et pleonasmo in lingua graeca Opusc. Tom. I pag. 152. — ξεκοίλιασε ob synizesin et metrum pro ξεκοιλίασε. Verbum ξεκοιλιάζω, pro quo veteres ἐκκοιλιάζω dixerunt, continet praepositionem ἐξ inverso litterarum ordine. Vid. ad vers. 125. Verti debet ξεκοιλιάζω *eviscero, exentero, viscera extraho, intestina effundo.*

V. 363. ἔπεσαν i. e. ἔπεσον. Hic aoristus ἔπεσα jam invenitur ap. Eurip. Troad. 291 et Alcest. 471. Cf. Buttm. Gramm. amplior. Tom. II pag. 217 seqq. Saepius exstat in posteriorum, imprimis Alexandrinorum scriptis. Vid. Lobeck. ad Phryn. p. 724. — χάμου, antique χαμαί *humi.* Caeterum verba χάμου ἐξαπλώθη non ad ἔντερα referenda sunt, quia hic Atticismus, quo neutra pluralis numeri substantivorum cum verbis singulariter enunciatis copulantur, vulgo hodie ignotus est, sed subjectum e superioribus asciscendum est Limnocharis. Itaque haec verba Crusius male interpretatus est *et humi expansa sunt*; sensus enim est: *Limnocharis humi extensus est.* Similem ejus errorem notavi ad vers. 60.

V. 364. ἐκοκκίνισε *rubuit.* Quum enim κόκκινος

in citeriore graecitate non amplius pro eo ponatur, qui veteribus *coccineus* est, sed omnino ad rubrum colorem exprimendum applicetur, idcirco κοκκινίζω quoque solum *rubefaciendi* et *rubescendi* significatum habet.

V. 365. Τυρόφαγος metri gratia pro Τυροφάγος.

V. 366. ἀνήγρετος *inexcitabilis;* jam apud Nonnum epitheton somni, ex quo excitari nequeas. Homerus somnum νήγρετον appellat Od. 13, 80 hym. Ven. 178. Quod superiores editores in textu toleraverant ἀνήγερτος non est graeca vox. Confudit aut Crusius, quem reliqui secuti sunt, aut librarius, qui codicem exaravit, quo usus est Crusius, ambo ista adjectiva ἀνέγερτος et ἀνίγρετος.

V. 367. ᾄδη᾽ i. e. ᾄδην.

V. 368. νὰ κείτεται populariter pro νὰ κείτηται conj. praes. verbi κείτομαι, de quo dixi ad vers. 326. — ὁμιάδι dilucidavi ad vers. 311.

V. 370. De particula μὰ quid judicandum sit, exposui ad vers. 97. — ἐκαρτέρεσε *exspectavit*, ut vidimus versu 348. — ν᾽ ἀντισταθῇ conj. aor. verbi ἀντιστέκομαι, quod jam legimus versu 262.

V. 371. ῥίμνη proprie est *platea, via, vicus,* qua potestate, ut alios omittam, adhibuit hoc vocabulum Theodorus Prodromus lib. I vers. 189 pag. 7 ed Cor.

καὶ ἀπὸ ψυχῆς νὰ ῥίγγιζα, περιπατῶν τὰς ῥίμνας,

ubi Coraes metri gratia scribere poterat κι ἀπὸ. Hoc ῥίμνη nihil est nisi antiquum nomen ῥύμη, quod veteres interdum hoc sensu usurpasse constat. Sed nostro loco ῥίμνη alium habet significatum, cujus non meminit Coraes Ἀταχτ. I p. 185 neque II, p. 321 et quem ignorasse videtur Ducangius Tom. II p. 1299. Si enim hunc versum cum sequenti conferimus, facile nobis erit persuasum, magis finalem illum versuum concentum quam ipsam sententiam effecisse,

ut hic Zenus ῥίμνην scriberet, quae vox eundem quidem versus exitum praebet quem λίμνην, sed a sententia paulo alienior est. Appellat autem noster ῥίμνην, propterea quod ei λίμνην opponit, *terram continentem* vel omnino *terram*. Proinde Crusius non bene reddidit ista verba ἔφυγε ἐκ τὴν ῥίμνην *fugit e vico seu statione:* vertenda enim sunt *fugit e terra.*

V. 372. σκουτάρι explicui ad vers. 223. — ἔῤῥηξε aor. verbi recentioris ῥήχνω vel ῥήκτω, quod eodem modo ex ῥήγνυμι ut δείχνω ex δείκνυμι formatum est. Sed quamvis eadem analogia in his verbis sit, differt tamen ῥήχνω vi et potestate a veterum ῥήγνυμι. Etenim sub verbo ῥήχνω eadem nunc sententia subjecta est, quae sub ῥίπτω, quae res induxit nonnullos, ut male scriberent ῥίχνω, opinantes scilicet, quod ineptum est, hujus locutionis natales ab ῥίπτειν repeti debere. Hoc igitur ῥήχνω pro loci natura *jacio, conjicio, abjicio* verti potest. Cf. Cor. Ἄτακτ. Tom. II p. 319. — ἀπήδησε aor. ind. verbi ἀπηδῶ, quo vulgus uti solet pro πηδῶ, quod antiquam significationem retinuit. Quod reliquum est, α in ἀπηδῶ illud esse patet, quod sive euphonicum, sive pleonasticum, vocare licet, quale est in ἄσταχυς, ἀσπαίρω, ἀστεροπή, aliisque antiquis vocibus, quarum loco et στάχυς, σπαίρω, στεροπή reperiuntur.

V. 373. σκοτόνω *interficio, occido.* Sic jam Nicetas in Man. lib. 6 num. 4 οἱ δὲ τοῦτον σκοτώσαντες Πέρσαι. Nemini dubium videri potest, quin σκοτόνω ab antiquorum verbo σκοτόω derivandum sit. Quod licet *obscurandi* ac praeterea *vertigine occupandi* notionem habeat, tamen facile perspicitur, quomodo recentior significatio ex antiquiore oriri potuerit. Tenendum etiam, quod Hesychius ait: Σκότος, ὄλεθρος, θάνατος. Cf. Corais Ἄτακτ. Tom. IV p. 518.

V. 374. ἅπλωσε, subaudi τὸ χέρι *manum extendit*. De ἐπίασε cf. adnot. ad vers. 203. — ἀσηκόνει i. q. σηκόνει„ de quo verbo egi ad vers. 191. Hoc quoque verbum exemplum praebet euphonici illius α, cujus mentionem feci ad vers. 372.

V. 375. ἀπόλυσε i. e. ἀπέλυσε proprie: (e manu) *dimisit*, quod quum de lapidis jactu intelligatur, nove dictum est.

V. 376. τ' ἀπαλὸ' i. e. τὸ ἀπαλόν. Sic recentiores *verticem* sive summam capitis partem a mollitudine appellant. Crusius *sinciput* esse putans magno in errore versatur. — ηὕρηκε aor. verbi εὑρίσκω, pro quo et εὗρηκε et εὑρῆκε et ηὗρε dici poterat. Pertinet hic aoristus ad reliquias veterum perfectorum in inferiore graecitate. Cf. adn. ad vers. 9. At significatus hic peculiare aliquid habet atque ab antiquorum loquendi consuetudine abhorrens. Quippe respondet fere verbo germanico *treffen*, quod de scopo usurpare solemus, quem quis hasta, lapidibus aliisve rebus attingit. Latine igitur *percutiendi*, *feriendi*, *iccndi*, *attingendi* verba quadrant.

V. 377. ῥουθούνι vel ῥουθούνιον *naris*, *nasus* deminutivum est nominis, quo veteres utuntur ῥώθων. De mutatione vocalis ω in diphthongum ου locutus sum ad dialogi vers. 1. — τὰ μυαλά pluralis heterogeneus nominis μυαλός, quod antiquam potestatem servavit.

V. 378. ἐπορφυρώθηκε vulgariter pro ἐπορφυρώθη.

V. 379. ἀπὸ μακρὰ, ut vers. 460, *e longinquo*. Vulgo nunc dicunt ἀπὸ μακράν. — ἐχύθη aor. pass. verbi χύνω, qua forma pro χέω jam Josephum aliosque, qui male scripserunt, usos esse notum est. Vide Lobeck ad Phrynichum pag. 726.

V. 383. *τονὲ πιάνει* i. e. *αὐτὸν πιάνει*. Cf. adnott. ad verss. 162, 360 et 203.

V. 384. *τὸ πόδι* cf. vers. 132. — *τραινᾷ* explicui ad vers. 158. — *τονὲ βάνει* pro *αὐτὸν βάνει*, ut supra. Verba ista *'ς τὴν λίμνην τονὲ βάνει* ad litteram significant: in stagno eum *ponit* i. e. h. l. *abjicit*.

V. 385. *ἠμπορεῖ* vulgariter pro *ἐμπορεῖ*. Vid. adn. ad vers. 142.

V. 387. *ὀγλίγωρα* dilucidavi ad vers. 343. — *νὰ σώσῃ ut subveniret*. Cf. ad vers. 92.

V. 388. *συντροφιᾶς* ob synizesin et rationem metricam pro *συντροφίας*. Cf. ad vers. 199.

V. 389. *καλὰ* praemissum sententiae negativae, quam sequitur *ὅπου*, constructio est linguae vulgaris novitiarum linguarum imitatione, ut videtur, expressa. In tali nimirum enunciatione *καλὰ* cum eo quod subjicitur, *δὲν* verti debet *vix*. Proinde sensus verborum, quae in textu sunt, hic est: vix in terram redierat Prasaeus, quum etc. — *σωσμένος* i. e. *σεσωσμένος*. Cf. ad vers. 92.

V. 390. *ἐκοντάρεψε*, ut vers. 346.

V. 391. *ὀμπρός του ἐξαπλώθηκε*, ut vers. 354.

V. 392. *σύντομα*, ut versu 186.

V. 393. *ἔφθασε accucurrit*. Vid. adnot. ad vers. 237. — *τινὰς* vulgariter pro *τίς*. Vid. quae observavimus ad vers. 28. — *'μποδίζει* i. e. *ἐμποδίζει*.

V. 394. *παίρνει sumit, tollit*. Cf. ad Dialogi v. 10. — *τὸν γρόθον* antique *γρόνθον*.

V. 395. *ῥήχνει jacit*. Vid. adn. ad vers. 372. — *τάχα* vel quod hoc sensu hodie usitatius est *τάχα τε* usurpatur ut antiquorum *δῆθεν*. — *γιὰ νὰ* vel *διὰ νὰ eo consilio, ut*.

V. 397. *σκύπτω* vel *σκύφτω* recentioribus est *in-*

clino me, praeterea *pendeo*. Ducenda est vox a veterum *κύπτω*, quamquam non improbabile videtur, utramque formam jam veterum aevo exstitisse, qui *μικρὸς* et *σμικρὸς* et alia usurpabant vocabula, quibus *σ* praeter necessitatem modo addebatur, modo demebatur. — De *ἁπλόνει* cf. quae diximus ad vers. 374.

V. 398. *σηκόνει* explicui vers. 191.

V. 399. De *ἔδωκε* cf. quae exposuimus ad v. 362.

V. 400. *κόκκαλα* recentioribus sunt *ossa*, *ὀστᾶ*. Cf. Ducang. Gloss. ad script. med. et inf. Gr. Tom. I p. 680, ubi tamen male *κόκαλον* exaratum est.

V. 401. *ἀνάσκελος* apud aostri temporis Graecos est *resupinus*, *ὕπτιος*. Sic et *ἀνάσκελα*, quod adverbialiter hic ponitur, intelligendum. Crusius ad litteram reddidit *cruribus sursum porrectis*. Sic in Historia Apollonii Tyrii:

καὶ ἀνάσκελα νακήκωντε τάμιορφα παλικάρια

quem locum Ducangius s. h. v. citans sic corrigere debebat:

κι ἀνάσκελα νὰ κείτωνται τ' ὅμιορφα παλληκάρια.

ἁπλώθηκε, ut versu 391. — *ξεψυχήση* interpretatus sum ad vers. 90.

V. 403. *ἔσωσε* *invasit*. Vid. ad vers. 92. *λειοντάρι* ob synizesin pro *λεοντάρι*. Vid. ad Dialogi vers. 1. Hoc *λειοντάρι* vel *λεοντάριον* deminutivum est vocabuli *λέων*. Pari synizesi Gallorum consuetudo *lion* ex latino *leonis* nomine fecit.

V. 404. *ἀπάνου* hic quoque est *in, contra, adversus*. Cf. vers. 286. — *ἀπόλυσε*, ut versu 375. — *βούρλινο'* i. e. *βούρλινον*. A substantivo *βοῦρλον*, quod legimus versu 274, derivatur adjectivum *βούρλινος*, *junceus*.

V. 405. *κοιλιὰ'* explicui v. 55. — *ἔδωσε* cf. ad vers. 362. — *ἐβγῆκαν* 3 pers. pl. aor. ind. verbi *ἐβγαίνω*, quod legimus versu 178 et alibi.

V. 406. *σκώτιον* per syncopen breviatum ex *συκώτιον*. Vide quae exposui ad vers. 339. — *ἐχυθῆκαν* vulgariter et ob metri legem pro *ἐχύθησαν*. Cf. adnot. ad vers. 379.

V. 408. *τὸν τράφον*, antique *τὴν τάφρον*. Pauci, quod nos quidem sciamus, apud veteres ὁ *τάφρος* dixerunt, in his Alcidam. p. 65 ed. Reisk. et Apollodor. I, 8, 1. — *ἐκρυβήθη* aor. pass. verbi *κρυβῶ* *abscondo*, ut infra versu 467. Longe usitatius hodie est *κρύβω* (cf. vers. 420.) vel magis etiam populariter *κρύβγω*, quibus formis signatur idem quod inest in veterum verbo *κρύπτω*. Haud injuria tamen Coraes Ἀτακτ. tom. IV. p. 259 *κρύβω* aetate prius fuisse censet quam *κρύπτω*, id quod in formis *βλάβω* et *βλάπτω* contigisse videmus. Unus adhuc Homerus simpliciore forma hic illic utitur, e. c. Il. lib. XIX, 82 *βλάβεται δὲ λιγύς περ ἐὼν ἀγορητής*, reliqui constanter *βλάπτω* scribunt. Probabile igitur, jam antiquo aevo in populari sermone exstitisse *κρύβω* pro *κρύπτω*.

V. 409. *σὲ* i. e. *εἰσὲ*, *εἰς*, ut vidimus dialogi v. 9.

V. 410. *ἀλλὰ 'ντροπή'* i. e. *ἀλλὰ ἐντροπήν*. A nostrae memoriae Graecis *ἐντροπή* vel de *pudore* vel de *dedecore* capitur. — *νά 'χῃ* i. e. *νὰ ἔχῃ*.

V. 411. *ξεχωριστός* adjectivum a verbo *ξεχωρίζω* i. e. *disjungo, separo, distinguo* formatum. Est igitur *ξεχωριστός* *disjunctus*. Crusius h. l. adverbio reddidit. *ξεχωρίζω*, constans praepositione *ἐξ* (licet transpositis litteris) et *χωρίζω*, ab antiquo *ἐκχωρίζω* mutata significatione manavit, ita ut ad potestatem simplicis *χωρίζω* redierit.

V. 412. *ἐπῆγεν* aor. ind. verbi *πάγω*, de quo egi ad vers. 303. — *σπίτι* explicui ad vers. 61. — *ἄφησε* *reliquit* aor. ind. act. verbi *ἀφίνω*. Cf. ad vers. 322.

V. 413. *ἔκραξε* *vocavit*. Alia hujus significatus

exempla vide ap. Ducangium T. I p. 750. Caeterum cf. de verbo κράζω disputantem Lobeck. ad Phryn. p. 337. — νά 'λθῃ i. e. νὰ ἔλθῃ.

V. 414. εἰς τοὺς ἐχθρούς. Antiqui vocabulum ἐχθρός hoc sensu non ponunt, sed *hostes* πολεμίους appellant, *inimicos* ἐχθρούς, id quod congruit cum eo, quod Ammonius hac de re tradidit. At in deteriore graecitate *hostes* plerumque vocantur ἐχθροί, quamquam nomen πολέμιοι nondum obsolevit. Similiter Galli aliique populi, qui linguam a Latinis mutuati sunt, *hostes* nominant *les ennemis*. — προτέρημα h. l. *facinus praeclarum, res bene gesta*, quae reliquis omnibus praeferenda est. — νὰ ποίσῃ, ut versu 129.

V. 415. ἔφθασε, ut versu 393. — τὸ ποτάμι explicui ad vers. 133.

V. 416. τῶν βορθακάδων genitivus pluralis barbari pro βορθακῶν, quam formam noster alias adhibere solet a nom. sing. βορθακάς. Vide quae observavimus de hac nominum flectendorum ratione ad vers. 185.

V. 417. μέσα 'ς τὴν μέσην. Cf. adn. ad verss. 73 et 193. — καρύδι i. e. καρύδιον. Cf. quae diximus ad v. 6.

V. 418. τοὺς νώμους interpretatus sum ad v. 150.

V. 419. βορθάκους metri gratia pro βορθακούς. — ἐσκιαχτῆκαν ob metri rationem pro ἐσκιάχτηκαν, quae forma vulgaris est, cujus loco ineruditi praeterea ἐσκιάχθηκαν, ἐσκιαχθήκανε et ἐσκιάχθησαν, eruditi ἐσκιάσθησαν dicunt. Ex postrema forma statim intelligitur thema esse σκιάζω quod in inferioris aevi graecitate non solum vetustam *obumbrandi* notionem retinuit, sed etiam de eo capitur, quod est *terrorem incutere*, *territare*, ita ut passivum significet *terreri, expavescere.*

V. 420. 'γλίγωρα declaravi ad vers. 343. — ἔδραμαν i. e. ἔδραμον. — κρυφτῆκαν propter metrum pro κρύφ-

τηκαν quae est forma vulgaris 3 pers. pl. aor. ind. pass. pro ἐκρύφθησαν a praesenti ind. act. κρύβω. Vid. adn. ad vers. 408.

V. 421. ἀδὲν vel ἀδὲ vulgariter pro ἂν δὲν *si non, nisi.* — νά 'λείσῃ i. e. νὰ ἐλείσῃ.

V. 424. βλέπουν i. e. βλέπουσι. — τὰ 'μιάτια dilucidavi ad vers. 128. — De φωνάζω dixi ad vers. 325.

V. 425. περίσσα, ut versu 304. — τοῦτος jam legimus versu 219.

V. 426. ἄθλιους metri causa pro ἀθλίους quamquam vulgus et in pedestri oratione plerumque ἄθλιους, ἄγριους, ἄσχημιους dicit, accentum, qualis in nom. sing. est in reliquis casibus utriusque numeri servans. — νὰ φονεύει pro ὅτι φονεύει, ut observavimus ad dialogi vers. 1.

V. 428. Μεριδάρπαγα hic non est Accusativus a Μεριδάρπαξ, sed Genitivus a Μεριδάρπαγας formatus, quem Nominativum versu 415 invenimus. — πάρῃ conj. aor. act. verbi παίρνω de quo confer dicta ad Dialogi vers. 10.

V. 429. Δίας pro Ζεὺς ut supra vers. 279.

V. 430. ἤξευρε *scito.* Vide adn. ad Dialogi v. 13.

V. 431. δύνεται i. e. δύναται. Cf. quae observavi ad vers. 4.

V. 432. δώσωμεν conj. aoristi recentioris, verbi δίδω pro δίδωμι nunc usitati, quem aoristum jam supra vers. 338 reperimus. — πάρῃς. cf. vers. 428.

V. 433. σύντομα ut versu 186. — ἡ πίκρα recentioribus est *animi dolor, moeror, cura, sollicitudo, molestia, indignatio.* — νὰ παύσῃ cf. adn. ad vers. 329.

V. 434. ὅρισε i. e. ὅρισον *impera.* Vid. quae adnotavimus ad dialogi vers. 2. — νὰ πᾷ explicui ad v. 181. Cf. praeterea quae notavimus ad vers. 303.

V. 435. βορβάκων metri causa pro βορβακῶν.

V. 436. De καθὼς vide Lobeck ad Phryn. p. 426. — ἐπῆγες *ivisti* aor. verbi πάγω, de quo supra egimus.

V. 437. ξεύρουν i. e. ἐξεύρουσι, de quo verbo ad Dialogi vers. 13 commentatus sum.

V. 438. ἐμπροτήτερα *prius, antea,* vocabulum formatum ex ἔμπροσθεν. — γιγάντες, ut supra vers. 12.

V. 440. μάνιτα i. q. μανία. Vid. Cor. animadvers. ad Plutarch. Tom. III pag. 33, ubi originationem nominum, qualia sunt μάνιτα, κάκιτα, ἄργιτα illustrat. — βέλι pro βέλιον deminutivum barbarum vocis βέλος. Cf. observationem ad vers. 105.

V. 442. ἀνατρομάσσει *tremefacit.* Simplex τρομάσσω legimus versu 86, ubi vid. adn.

V. 443. ἄφιναν 3 pers. pl. Imperf. act. verbi ἀφίνω, de quo dixi ad vers. 136.

V. 445. ἔτσι, pro quo alii minus recte ἔτζη vel ἔτζι scribunt adverbium est incerti etymi idem sonans quod οὕτως. Alii graecam esse voculam censent litterarum transpositione ex ἔστι natam, alii, inter quos Coraes Ἄτακτ. I p. 304. ex ἔτι depravatam, id quod composito ἐδέτσι vel ἐδέτζι orto, ut volunt, ex ὧδ' ἔτι probabile fieri affirmant, alii ex Gallico *ainsi* exstitisse opinantur, quam opinionem repperi in Dehèquii Dict. gr. mod. fr. s. h. v., alii denique ex latinis vocibus *et sic* originem repetendam esse arbitrantur, quae postrema derivatio haud scio an unice probanda sit. — ἐσκόρπιζαν i. e. ἐσκόρπιζον. — μαχικοὺς i. e. μαχίμους, μαχητικούς.

V. 446. ἐπέφταν metri causa pro ἔπεφταν Imperf. verbi πέφτω, quo vulgus pro πίπτω utitur. — κρύβονταν vulgaris 3 pers. pl. Imp. pass. pro ἐκρύβοντο a verbo κρύβω, de quo egi ad vers. 408.

V. 447. ἔσφαζαν i. e. ἔσφαζον.

V. 448. ἔστελνε i. e. ἔστελλε. De ν insitivo, quod in hoc verbo cernitur, dixi ad vers. 74.

V. 449. ἀλαζονειὰ᾽ per synizesin et apocopen pro ἀλαζονείαν.

V. 450. πλάται *humeri, scapulae,* quo sensu jam veteres interdum istam dictionem adhibuerunt, quamquam compositum vocabulum ὠμοπλάται hac significatione usitatius fuisse videtur. Erotianus ait: πλάτας, τὰς ὠμοπλάτας. Cf. Pollucem. lib. II. — εἴχασι, explicui v. 223. — κεφάλι jam legimus v. 328.

V. 451. ᾽ποῦ *quibus,* ut versu 268. — ϑωροῦσαν interpretatus sum versu 334.

V. 452. εἴχανε i. q. εἶχαν et εἴχασι, quod legimus vers. 450. — στραβὰ neutr. pl. adjectivi στραβὸς adverbii vicem hic explens, ita ut sit *oblique,* πλαγίως. De usu hujus adjectivi in vulgari sermone disseruit Coraes Ἄτακτ. Tom. II pag. 335 et Tom. IV pag. 355. — ἐπερπατοῦσαν vulgi more pro περιεπάτουν. Vid. quae notavi ad verss. 79 et 210.

V. 454. γιατ᾽ ἦσαν i. e. γιατὶ ἦσαν. — ὁλοκόκκαλοι. Vid. ad vers. 400. — σάρκες ex plebis consuetudine pro σάρκας, ut γίγαντες pro γίγαντας vers. 284 et alibi.

V. 455. στρογγυλὴν metri causa pro στρογγύλην. — οἱ καϑαροὶ *splendentes;* ita correxi mendosum illud ἰκαϑαροὶ, quod in textu repperi. Subrustice hic loquitur Zenus καϑαρὸν appellans quod alii λαμπρὸν vocaturi erant. Caeterum verbis οἱ καϑαροὶ ᾽ς ταῖς πλάταις ad litteram interpretari studet quae in archetypo vers. 287 leguntur: ἀποστίλβοντες ἐν ὤμοις.

V. 456. τὰ ᾽νύχια enucleavimus ad v. 94. — ᾽ξύμητα pro ὀξύμητα. Hoc adjectivum ὀξύμητος vel ut rectius scribi potest, ὀξύμυτος compositum est ex ὀξὺς et μήτη sive

μύτη, quae vox *nasum*, *rostrum* denique *acumen* et quidquid acutum est, designat. Quum non dubium sit, quin μύτη et antiquorum locutio μύτις ejusdem originis vocabula sint habenda, mirum videtur, quod hodie a Graecis scriptura μήτη alteri praeoptatur, qui usus effecit, ut hic ὀξύμητα, non ὀξύμυτα scriberem. De reliquo ὀξύμητος nihil est, nisi *acutus*. — 'σὰν τά 'χουσιν i. e. ὡσὰν τὰ ἔχουσιν. — ἦ γάταις plebis more pro αἱ γάται. Cf. adn. ad. v. 14.

V. 457. ἦσανε populariter pro ἦσαν.

V. 458. ἔκοπταν i. e. ἔκοπτον. — κόπτουν i. q. κόπτουσι.

V. 459. νῶμοι *humeri*. Vid. observationem ad vers. 150. — ἐλάμπασι i. e. ἔλαμπαν vel ἔλαμπον. — σιδερωμένοι, antique σεσιδηρωμένοι. Mutationem τοῦ η in ε Doribus Aeolibusque tribuit Ioannes Grammaticus ap. Cratandr. Lex. Gr. append. p. 91.

V. 460. ἀπὸ μακρὰ cf. ad vers. 379. — ἐφαίνονταν forma plebeja pro ἐφαίνοντο. — εἶν' i. e. εἶναι. — ἁρμιατωμένοι *armati*. Vid. adn. ad vers. 226.

V. 461. τέτοιας λογῆς explicui vers. 148. — παράξενος a recentioribus appellatur *insolitus*, *insolens*, *mirabilis*, *mirus*, *monstri similis*, *monstruosus*.

V. 462. ὁποῖοι, vulgo hoc sensu οἱ ὁποῖοι. Vide quae notavi ad vers. 6.

V. 464. πέφταν i. e. ἔπεφταν, quod explicui vers. 446. Caeterum Atticismus ille, quo nomina neutra pluraliter enuntiata cum verbis singulariter expressis copulantur, recentioribus Graecis, ut jam supra ad vers. 60 monuimus, ignotus est. Quodsi illos tantum scriptores, qui attici sermonis et recte loquendi norma ab antiquis habebantur, Platonem, Xenophontem aliosque ante Alexandrum Magnum hunc usum perpetuo observasse constat, hac tamen

men conditione, ut si de animantibus agerent, tum quoque pluralem verbi numerum frequenter nominibus illis adjungerent, quaeritur, quid causae fuerit, cur, cum liceret dicere *τά παιδία παίζει* et *τὰ παιδία παίζουσι*, porro *ἐὰν τὰ τέκνα θάνωσιν* et *θάνῃ* et alia sexcenta, non tamen illius aetatis poetae et pedestris orationis auctores *πεντήκοντα ἔτη εἰσίν* sed *ἐστίν* dixerint. Quam rem sic fieri noverat Porsonus ad Eurip. Hecub. v. 1141 in Addend. p. 95 ed. Lips., cur ita fieret non perspexerat At nihil puto facilius esse ad intelligendum. Quum singularis numeri notio certa et definita a Graecis habeatur, accidere propter hanc certam sententiam sub singulis nominibus eo numero expressis subjectam non potest, ut alius quam singularis verbi numerus cum iis conjungatur. Quod contra evenit in plurali numero. Qui quum magis vagam et indefinitam habeat notionem, quae imprimis in neutro genere elucet, factum est, ut Graeci illius temporis non tam rerum multitudinem respicientes quam vagam illam indefinitamque notionem, in qua singula non discernuntur, animo cogitantes verbum singulare nomini plurali adderent. In quo quidem ab animantibus res inanimatas discerni oportere arbitrati sunt, quia voluntatis diversitas, quae singulis animantibus esse potest, vel temporum locorumque intervalla actionis diversitatem saepe efficientia eam sermonis formam requirunt, quae hanc differentiam exprimat. Etiamsi igitur Thucydidem et quicunque bene attica dialecto scripserunt non *ἔτη εἰσίν*, sed *ἐστίν* dixisse notum est, tamen eos pro sententiae diversitate *τὰ παιδία παίζει* vel *παίζουσι*, porro *ἐὰν τὰ τέκνα θάνωσιν* vel *θάνῃ* atque alia hujus generis dixisse reperimus. Si enim ludus, qui memoratur, communis omnium puerorum est, qui eodem tempore in locum aliquem convenerunt,

dicendum erat illo aevo *τὰ παιδιά παίζει*, si singuli separatim ludunt, *παίζουσι*, quae forma tum quoque necessaria est, quum singulorum ludus in diversa tempora incidit, id quod praeterito vel futuro, non item praesenti tempore enuntiari posse in promtu est. Haec iis, quae supra ad v. 60 exposita sunt, addenda esse existimavi, ne oblata occasione negligerem rem nondum bene in grammaticis de antiqua lingua libris enucleatam, quae non solum Crusio, sed aliis quoque philologis fraudi fuit, quoniam partim hoc discrimen in Atticorum scriptis non perceperunt, partim in eorum auctorum opera inferre tentarunt, qui quibus saeculis illud jam pridem oblitteratum erat vixerunt.

V. 465. *ἐλάβασι* i. q. *ἔλαβαν, ἔλαβον*. — *φύγαν* i. e. *ἔφυγον*.

V. 466. *ἀνίμεναν* vulgi more pro *ἀνέμεναν* i. e. *ἀνέμενον*. — *σκόρπισαν* hoc loco intransitive pro *ἐσκορπίσθησαν*. Intransitivam hujus verbi usurpationem, quae rara est, memorare neglexit Coraes Ἄτακτ. Tom. IV pag. 515 s. h. v. — *πῆγαν* vel *ἐπῆγαν* aor. verbi *πάγω*. Cf. animadversionem ad vers. 303.

V. 467. *ὁ ἥλιος ἔδυσε* i. e. *ἐδύσατο, κατέδυ*, si antiquorum usum spectas. Vulgo nunc hac notione *ὁ ἥλιος ἐβασίλευσε* dicunt, qua de re pauca disseruit Coraes Ἄτακτ. Tom. II pag. 79 et Tom. IV pag. 50. — *ἐκρυβήθη*, ut vers. 408.

V. 468. *μιὰν* per synizesin pro *μίαν*, ut versu 322. Quum extremis his quattuor versibus inde a verbis *φόβον πολὺν ἐλάβασι* octo legantur aoristi, quibus unum imperfectum *ἀνίμεναν* immixtum est, non possum, quin Davidis quandam opinionem commemorem, in Méth. p. étud. l. l. gr. mod. p. 83 pronuntiatam, quae et vera est et falsa.

Ait ille, in recentiore Graecorum sermone aoristum omnium temporum praeteritorum atque interdum etiam plusquamperfecti vice fungi. Ac primum quidem non mirum est, quod de omnibus temporibus praeteritis judicari oportet, idem de singulis esse dicendum. Quare quoniam plusquamperfectum in praeteritorum temporum numero est, hujus ut caeterorum aoristus erit vicarius. Neque véro plusquamperfecti notio quidquam continet, quod dissimilius sit ei quae aoristo est potestati, quam caeterorum temporum praeteritorum significatio. Nam quum ea, quae olim peracta sunt, sic Graeci enarrant, ut in sola praeteriti temporis contemplatione subsistant, neque ullam suae memoriae habeant rationem, nullum aliud ad narrandum aptum est tempus, quam aoristi, sed ubi olim gesta sic referunt, ut simul praesentem aetatem respiciant, narrationi solum convenit perfectum. Itaque antiqui quorum verborum perfecta vel sine difficultate formari poterant, vel ipso sono, cui plurimum tribuebant, commendari videbantur, in iis hoc, de quo modo locutus sum, Indicativorum perfecti temporis et aoristi discrimen esse voluerunt. Sed quando perfectum difficile aut formatu aut pronuntiatu erat, aut certe minus bene sonabat, jam veteres illi Graeci minus accurate loquebantur, ibi etiam aoristum adhibentes, ubi perfecto locus esse debebat. Horum exemplum posteriores praeter necessitatem secuti, temporis progressu omnia abjecerunt perfecta, ita ut citerior lingua usque et usque aoristos in narrationibus usurpare coacta sit. Quae perfecti temporis usui difficultates nonnunquam apud veteres obstabant, eaedem etiam plusquamperfecto officere videbantur. Verum etiamsi perfectum commode formari ac pronuntiari poterat, neque male sonabat, tamen non semper formabatur, vel si

formabatur, tamen plusquamperfectum ob formae longitudinem quandoque inde non deducebatur, sed ejus loco aoristus in usu erat. Hanc consuetudinem in verbis quibusdam non omnium Graecorum, sed nonnullorum tantum scriptorum communem fuisse credas. Nimirum suo quisque modo lingua utitur. Huc accedit, si temporum notionem spectamus, major plusquamperfecti, quam perfecti cum aoristo cognatio. Quum enim plusquamperfectum designet actionem absolutam quo tempore alia inchoabatur, qua in re nulla habetur praesentis temporis ratio, quod secus fit in perfecto, major quaedam inde plusquamperfecti cum aoristo, quam perfecti cum eodem tempore conjunctio et similitudo nascitur. Proinde hac quoque causa permoti tam veteres Graeci, quam recentiores aliquando aoristum plusquamperfecto praeoptant; in quo eo justior excusatio nunc recentioribus est, quod hac ratione molesta plusquamperfecti circumlocutione (v. c. *εἶχα γράψει* pro *ἐγεγράφειν*), quae sola nunc usitata est, ubi opportunum videtur, supersedere possunt. Sed redeo ad antiquorum aoristum. Qui quamquam singulare factum exprimit, tamen pro re nata non minus congruus est, (de solo videlicet Indicativo ago) ubi id quod aliquando contingere solet et quavis aetate contingere potest, eloqui in animo est. Sunt enim res olim gestae imagines quaedam et tanquam exempla earum omnium rerum, quae pro vitae humanae conditione vel immutabili lege naturae et nunc similiter geruntur et posthac gerentur. Est hic celebratissimus ille aoristi usus ex Homerica sermonis simplicitate ductus, quae fieri solita tanquam facta narrat. Sed quamvis is florentem etiam linguae aetatem attigerit, attamen ad recentissimam memoriam non permanavit. Quem si consideramus aoristi usum, facile

nobis erit persuasum, hac parte apud veteres aoristum ad quandam imperfecti similitudinem accessisse. Licet enim contraria sint imperfectum et aoristus, quum illud in re infecta, inchoata, durante vel saepius eveniente, hic in re facta et absoluta, semel et velociter transacta versetur; tamen in hoc poetico usu, quem summi etiam pedestris orationis scriptores in multis loquendi generibus agnoscunt, utriusque temporis quaedam reperitur congruentia, quamquam quae adjuncta est diversitas, obscura esse nequit. Etenim si consueta ac solemnia sic memoramus, ut ea soli tempori peracto ascribamus, gentium simul vel singulorum hominum qui quid facere solebant, mentione injecta, imperfecto locus conceditur, aoristo autem, si, quod solemne et usitatum appellamus, non praeteritae tantum aetati proprium videtur, sed omnis est aevi omniumque saeculorum commune. Inde consequitur, ut si hanc solam respicimus utriusque temporis vim, nunquam imperfectum quadret, ubi aoristus accommodatus sit, neque aoristus pro imperfecto poni possit. Jam si alterum aoristi usum examinamus, ille, ut e praecedentibus patet, non minus ineptit, qui, quae aoristo narrantur, ea putet non mutata notione imperfecto dici posse. Nam mutato tempore significatio quoque mutatur. Neque vero recentior lingua quidquam in singulorum temporum significatu novavit, nisi quod qui fuit olim perfecti sensus, is ex quo illud tempus in usu esse desiit, caeteris aoristi significationibus additus est. Quin etiam recentiores Graeci verbis quibusdam, quorum nullus apud antiquos exstat aoristus, hoc tempus ut valde necessarium adjecerunt, ne imperfectum duplex, ipsius scilicet et aoristi munus sustineret. Hujus generis est verbum substantivum, cujus imperfectum ἤμην probe distinguitur ab aoristo

ἐστάθην, id quod ne in ditissima quidem veterum lingua commode fieri poterat. Nempe ἦν in antiquorum libris non magis recte vertitur *eram*, quam *fui*. Quo de argumento sic statuit Hermannus Praef. ad Soph. Oed. Tyr. p. XVIII.: „Ipsa verbi illius notio aliquid difficultatis atque ambiguitatis habet, quum ejus aoristum et imperfectum discernere volumus. Quum enim *esse* statum aliquem permanentem indicet, aeque et in aoristo haec vis inest, et in imperfecto, sed eo discrimine, quod in imperfecto aliud aliquod tempus cogitari necesse est, quo quid fuerit, in aoristo autem infinite quid intelligitur, aliquo tempore jam exacto fuisse. Quo fit, ut quum permanentem illum statum, qui verbi notione continetur, non ad aliud praeteritum tempus referimus, sed simpliciter ut aliquando finitum neque adhuc durantem commemoramus, recte aoristo utamur." Nemini dubium videbitur, quin quod universe clarissimus ille vir de verbo substantivo dixit, verissimum esse putandum sit. Si igitur pro certo habemus, statum permanentem indicari verbo *esse*, ideoque hanc vim pariter in aoristo et in imperfecto inveniri, tamen utriusque temporis discrimen, quod ei placet, mihi non ab omni parte probatur. Mihi enim videtur in imperfecto hujus verbi solum temporis alicujus exacti initium, in aoristo finis respici. Quomodo praeterea Hermannus de epicis hujus imperfecti formis ac de differentia formarum ἦ et ἦν apud Atticos judicaverit, velim ex ipso cognoscatur. Id tantummodo addimus, quamvis in his formis sint, quas aoristi potius quam imperfecti esse dicas, tamen plerumque Graecos utramque significationem sic conjunxisse, ut aoristo verbum εἶναι carere multis Grammaticorum jure videretur. Quae sententia vel eam ob causam vera est, quod qui ἐγενόμην pro aoristo verbi εἶναι

usurpari dixerunt, eodem errore duci videntur, quo, qui apud Latinos *fui* et *exstiti* haud magno discrimine sejuncta esse rati sunt. Ea scilicet utriusque verbi natura est, qua si qui oratores, ut hoc utar exemplo, aetate quadam *fuisse* perhibentur, in iis tempus quo vixerunt, solum spectetur, si qui *exstitisse* dicuntur, in iis non solum ejus temporis, quo fuerunt, sed etiam, quo non fuerunt, et quo paulatim et quasi per gradus quosdam ad oratoriam facultatem pervenerunt, ratio ducatur. Fusius haec exposui, ut quid Davidis opinio et veri et falsi contineat, demonstrarem, ne quis forte ejus auctoritate inductus tempora hodie longe aliter, quam apud veteres, usurpari existimaret ac nostro potissimum loco imperfectum significatu ab aoristo non differre opinaretur. Finem huic de temporum praeteritorum usu disputationi imponere possem, nisi res postulare videretur, ut de plusquamperfecti et futuri temporis circumlocutionibus quaedam dissererem.

Plusquamperfecti una tantum periphrasis usitata est, composita imperfecto verbi ἔχω atque, ut de passivo prius loquar, quemadmodum Coraes censebat, dorico aoristi infinitivo. Qui quum in passivo verbi γράφω apud Dores fuerit γραφθῆν pro attico γραφθῆναι, recentis aetatis Graeci nihil ei omittere videbantur, nisi *v* finale, εἶχα γραφθῆ dicentes pro ἐγεγράμμην. Haec opinio, quam, ne copiosius dicere coactus essem, supra in adn. ad v. 117 adoptavi, si a specie veri, quam praebet, discesseris, falsissima est. Difficilis etiam ratio plusquamperfecti activi est, quod olim cum eodem Corae falso scribens loquensque littera non necessaria auxi. Coraes enim hanc circumlocutionem εἶχα γράψει pro ἐγεγράφειν *v* finali ornavit, ut huic dicendi formulae antiquitatis colorem conciliaret. Idcirco, ut exem-

plum ex ejus scriptis proferam, in Προλεγ. εἰς Ἀπαντ. Τομ. δ' σελ. ε' στιμ. 2. εἶχα γνωρίσειν pro vulgari εἶχα γνωρίσει scripsit, in quo, ut leniter judicem, vir immortalis a vero aberravit. Nam profecto, si plusquamperfectum antiquorum in citeriorem graecitatem transferendum est, infinitivus futuri post εἶχα ita alienus a sententia est, ut in soloecismis numerandus sit. Quodsi quis in verbis, quae τῶ σ carent, velut λαμβάνω pro εἶχα λάβει *ceperam* addito ν εἶχα λάβειν utitur, neque antiquae neque recentioris linguae legibus accommodate loquitur, quam ineptam loquendi rationem mire nunc quibusdam placere affatim notum est. Alii igitur accentu in ultimam conjecto εἶχα λαβεῖν scribunt, quod etsi ad sensum recte se habet, tamen nondum omnibus probatur, quia ob insolentiam dicendi consuetudini repugnat, neque a plebe intelligitur. Duorum tantum verborum plusquamperfecta sunt, quae Corais opinioni suffragari videantur, εἶχα ἰδεῖ et εἶχα εἰπεῖ, quibus si adjungitur ν, exsistunt veteres infinitivi ἰδεῖν et εἰπεῖν. At vero in his contra veteris linguae analogiam ab inferioris aetatis Graecis conjunctivi aoristi accentus ex penultima in ultimam syllabam transpositus est. Quae si nobiscum reputamus, evidens videtur λάβει, γνωρίσει et ἰδεῖ nihil esse, nisi conjunctivum aoristi atque eam ob rem emendatius scripturos esse Graecos, si pro his usurparent εἶχα λάβῃ, εἶχα γνωρίσῃ, εἶχα ἰδῃ. Jam vero originem harum circumlocutionem pervestiganti facile apparet, quod perperam vulgo exaratur γραφθῆ, γνωρισθῆ, κτυπηθῆ ex activi analogia non esse Infinitivum, sed Conjunctivum aoristi passivi atque idcirco rectius scribendum esse γραφθῇ. Atqui dicat aliquis, sententiam hic non Conjunctivum, sed Infinitivum requirere. Audio. Verum recentiores Infinitivo orbati, eumque

modum Conjunctivo praecedente νὰ exprimentes, vix aliam poterant, quam hanc periphrasin adhibere. Proinde εἶχα γράψῃ vel addito νὰ, quod subauditur, εἶχα νὰ γράψῃ aequiparat alteram formulam εἶχα γράψαι. Sic εἶχα γραφθῇ vel plene εἶχα νὰ γραφθῇ perinde est, ac si dicatur εἶχα γραφθῆναι vel dorice εἶχα γραφθῆν. De reliquo, si quis εἶχα γνωρισθῇ, εἶχα γραφθῇ, εἶχα κτυπηθῇ et similia, quoad ejus fieri potest, ad verbum germanice vertat, id quod in latino sermone non licet, aoristi autem infinitivum sic interpretetur, ut perfecti veteris infinitivus interpretandus est, idoneam fuisse rationem reperiet, cur abjecta veteri forma hanc potissimum periphrasin inferioris aevi Graeci elegerint. Etenim εἶχα γνωρισθῇ sic ad verbum germanice convertas: ich hatte gekannt worden sein i. e. ich war gekannt worden, j'avais été connu. Ex his, quae disputavimus, efficitur, si quis in vulgaris linguae vestigiis subsistere vellt, ei scribendum esse emendate εἶχα γραφθῇ, εἶχα γνωρισθῇ, εἶχα γράψῃ, εἶχα λάβῃ, εἶχα ἰδῇ pro falsis εἶχα γραφθῆ, εἶχα γνωρισθῆ, εἶχα λάβει, εἶχα ἰδεῖ, si quis vulgarem sermonem ita emendare velit, ut ad antiquum propius accedat, ei scribendum esse εἶχα γραφθῆν vel εἶχα γραφθῆναι, εἶχα γνωρισθῆν vel εἶχα γνωρισθῆναι, εἶχα γράψαι, εἶχα λαβεῖν, εἶχα ἰδεῖν, sed velut scopulum fugienda esse barbara ista εἶχα γράψειν, εἶχα κτυπήσειν, εἶχα γνωρίσειν, εἶχα λάβειν. Quae quum ita sint, ubique Zeni textum ad hanc normam exegissem, nisi veritus essem, ne forent, qui re nondum perspecta nimis offenderentur meque tanquam novarum rerum studiosum indicta causa condemnarent. Unum restat, quod paucis aperiam. Si recentiores dicunt εἶχα γεγραμμένον, haec dicendi forma respondet latinae *scriptum habebam*, neque,

quia alium habet sensum, plusquamperfecti periphrasibus adnumeranda est.

Transeo ad futuri temporis periphrases. Antiquorum futurum γράψω *scribam*, ποιήσω *faciam*, vagum infinitumque recentioribus visum est. Quamobrem varias excogitarunt circumloquendi rationes, quibus, ut inter se diversis, diversum etiam sensum exprimi necesse est. Quo fit, ut singulae futuri temporis formae partem tantum significationis antiqui futuri reddant, totam ejus vim non referant. In his futuri temporis apud recentiores formis periphrasticis duae eminent, quarum altera constat tertia persona sing. Ind. praes. verbi θέλω et Conjunctivo praes. vel aor. ejus, quod exigitur verbi. Quam rationem si sequimur, antiquorum γράψω nunc vertitur: θέλει γράφω vel θέλει γράψω (θέλει γράφῃς vel θέλει γραψῃς etc.) Utrum Conjunctivus praesentis, an aoristi ponatur, multum refert. Sed quia notam hanc differentiam opinor, quae inter modos praesentis et aoristi intercedit, quaeque a me alibi paucis adumbrata est, ideo eam hic silentio praetereo. At cur Graeci hic θέλει dicant, id a nemine enucleatum repperi. Res, nisi fallor, sic se habet. Θέλει in hoc loquendi genere verbum impersonale est. Quare si latine paulo insolentius loqui et ad litteram fere hanc periphrasin θέλει γράφω vel θέλει γράψω et θέλει κτυπήσω vel θέλει κτυπῶ convertere vis, sic dicas: *voluntas est, ut scribam; voluntas est, ut verberem* — pro simplici *scribam* et *verberabo*.

Altera periphrasis huic plane opposita est. Ea enim constat verbo θέλω personalem usum habente et verbo, quod enuntiatio postulat, impersonaliter usurpando. Ponitur au-

tem hujus verbi tertia pers. conjunctivi vel praesentis vel aoristi. Hac altera ratione pro antiquo γράψω, γράψεις dici convenit θέλω γράψῃ, θέλεις γράψῃ vel θέλω γράφῃ, θέλεις γράφῃ, quod vulgo pronuntiationis aequalitate decepti inepte scribunt θέλω γράψει vel θέλω γράφει. Namque necesse esse hic exarari θέλω γράψῃ et θέλω γράφῃ, perspicue monstrat passivi analogia, quod eandem habet circumlocutionis legem. Nimirum γραφθήσομαι dupliciter interpretantur nostrae aetatis Graeci, ita ut non solum θέλει γραφθῶ (θέλει γραφθῇς) vel θέλει γράφωμαι, sed etiam θέλω γραφθῇ dicant, pro quo plurimi insulse θέλω γραφθῆ scribunt. Haec omnia, si formas et activas et passivas conferimus, ad amussim sibi invicem respondent, nisi quod, quum θέλω γραφθῇ respondeat periphrasi activae θέλω γράψῃ, nulla in usu est periphrasis passiva, quae activae θέλω γράφῃ respondeat. Verum inde nullum vulgaris lingua detrimentum capit, quum alia dicendi genera praesto sint. Inter haec numeranda sunt et illa quae pro θέλει impersonaliter adhibito dudum apud vulgum invaluerunt. Etenim nunc perinde fere est, num dicas θέλει γράψω, θέλει γράφω et θέλει γραφθῶ, an θὲ νὰ γράψω, θὲ νὰ γράφω, θὲ νὰ γραφθῶ, an denique θὰ γράψω, θὰ γράφω, θὰ γραφθῶ. In his formis θὲ tantundem valet, quantum θέλει, ex quo breviatum est, ut θὲς ex θέλεις, θέτε ex θέλετε Graeci decurtant; porro θὰ interliso *v* contractum est ex θὲ νὰ, quod satis liquere arbitror. Ex hac postrema, quam adnotavi, forma θὲ νὰ γράψω, cujus loco non minus probatur θὰ γράψω, emergit, quomodo explanandus sit Conjunctivus post θέλω. Deest videlicet in θέλει γράφω, θέλει γράψω et θέλει γραφθῶ particula νὰ; neque alia particula

subaudienda est in θέλω γράφῃ vel θέλω γράψῃ et in θέλω γραφθῇ. Quippe nunquam in recentium Graecorum sermone conjunctivus, nisi praecedente particula aliqua usurpatur, quae hic brevitatis causa praetermissa est. Porro facile intelligitur, Conjunctivi γράφῃ, γράψῃ et γραφθῇ post θέλω eandem esse notionem, quam in Plusquamperfecto post εἶχα ei attribuendam esse vidimus. Nempe Conjunctivus in his omnibus loquendi modis Infinitivi vim habet, atque, ut εἶχα γράψῃ idem esse demonstravimus cum εἶχα γράψαι, ita θέλω γράφῃ, θέλω γράψῃ, θέλω γραφθῇ idem est cum θέλω γράφειν, θέλω γράψαι, θέλω γραφθῆναι vel dorice γραφθῆν. Falsa autem scriptura θέλω γράφει, γράψει et γραφθῆ, quae inter Grammaticos Rusiadae, Darvari, Davidi aliisque placet, effecit, ut multi, inter quos Coraes fuit, addito ν Infinitivum comminiscerentur, quem non quidem vitupero, ubi praesentis est, sed quando pro θέλω γράψῃ non θέλω γράψαι, sed θέλω γράψειν dicunt, hoc loquendi genus ut sermonis vitium reprehendo. Siquidem tum non modo linguae citerioris analogia deseritur, sed oratio aperte mendosa est et monstra inducuntur in sermonem, velut θέλω λάβειν, θέλω εὕρειν et antiquis ignota et nostri aevi peritioribus Graecis ingrata, si a duobus illis verbis θέλω ἰδεῖν et θέλω εἰπεῖν discesseris, quae ob mutationem, quae illis contigit, sponte in rectae viae vestigia ducunt. Praeterea, quum supra viderimus, νὰ γράφῃ, γράψῃ et γραφθῇ impersonaliter accipienda esse, ita ut proclive sit intellectu, quomodo haec pro infinitivis adhiberi queant, nihil superest, nisi ut addamus causam rationemque, cur sic loquantur Graeci. Ex quo Infinitivus usurpari desitus est, necesse fuit, ea Conjunctivi vel praes.

vel aoristi persona praecedente *νὰ* eligeretur, quae sententiae conformatione requireretur, v. c. *θέλω νὰ φάγω edere volo, προστάζω νὰ πάγῃς jubeo te abire.* Sed quando quis infinitivo ita universe utitur, ut non certis hominibus actionem vel statum aliquem tribuat, sed de hac ipsa actione vel de hoc statu solius ideae et notionis, quae ei inest, habita ratione agat, tum Graeci tertiam personam singularis Conjunctivi antecedente *νὰ* vel *τὸ νὰ*, sequente pronomine *τις* vel alio quopiam pronomine indefinito usurpare coeperunt; e. c. *τὸ νὰ ἀγαπᾷ τις τὴν σοφίαν εἶναι ἄξιον τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως sapientiam diligere dignum est humana natura.* At quum veteres interdum *τις* omiserint, v. c. in exemplo ab Hermanno allato in Diss. de ellips. et pleonasm. Opusc. Tom. I p. 154:

ἄνδρα δ' ὠφελεῖν ἀφ' ὧν
ἔχοι τε καὶ δύναιτο, κάλλιστος πόνων

